This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

189206
898
C210
H7
.C.2
A 472456 DUPL

FRIDERICI HOFMANNI

DE

ORIGINE BELLI CIVILIS CÆSARIANI

COMMENTARIUS.

BEROLINI
SUMPTIBUS IULII SPRINGERI.
MDCCCLVII.


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

Hofmann, Friedrich

731

FRIDERICI HOFMANNI

DE

ORIGINE

BELLI CIVILIS CÆSARIANI

COMMENTARIUS.

BEROLINI
SUMPTIBUS IULII SPRINGERI.
MDCCCLVII.

878
C2.0
H7

Latin
Lubrich
9-17-21
20103

PRAEFATIO.

Non eram nescius, cum de controversiis Caesaris et Pompeii eorumque causa quaerere institueremus, fore ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam quibusdam facilis videbitur esse causa et aperta; erunt etiam qui quod dubitationis habeat praeclare explicatum esse putent cum ab aliis viris doctis tum nuper a Drumanno; non deerunt denique qui, cum dubiam controversamque rem esse concedant, tenuem eam iudicent, supervacaneam, quaestione prorsus indignam. Contra quos omnes dicendum breviter existimo.

Atque illis quidem, qui quid quaeri possit de hoc genere non vident, facile est satisfacere. Quoniam enim qui causae status initio belli fuerit satis cognosci nequit, nisi antea perspectum est unde profecti, qua via progressi, quibus artibus usi factionum principes in eum locum rem perduxissent, vel hinc patet latissimus campus, in quo diligentia doctrina ingenium excurrere possit atque cognosci. Adeo enim rara, multis locis dispersa, subobscura est huius rei commemoratio apud veteres scriptores, ut, si summa quaeque non nimis

incertis vestigiis persequi liceat, praeclare omnino actum videatur.

Accedit alia eaque uberior materies quaerendi. Tanta erat enim totius causae obscuritas vel eo tempore quo acta est, ut in utraque parte aliquid esset quod probari posset, ut multi et integri ac religiosi homines utra causa melior esset dubitarent, ut ii ipsi, qui se suaque omnia in alterutrius castra transtulerant, de iuris ratione haesitantes ac prope sine ulla affirmatione dissererent. An non Cicero, qui optimatium causae totum se dediderat, iterum ac saepius professus est non omnia, quae contra Caesaris salutem Pompeius suscepisset, suscepta esse iuste aut legitime saltem? Ac ne Lucanus quidem, qui Pompeii laudes summo studio prosequitur, cum haec dicit:

Tu, nova ne veteres obscurent acta triumphos
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times; te iam series ususque laborum
Erigit impatiensque loci fortuna secundi.
Nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem,
Pompeiusve parem. Quis iustius induit arma,
Scire nefas; magno se iudice quisque tuetur:
Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni;

sed ne Lucanus quidem, cum haec dicit, ita videtur iudicare, quasi simplex sit causa aut quae nihil habeat dubitationis.

Denique veterum iudicia quae de hac causa facta sunt, quae quidem extent, si vere aestimare volumus, iudicia neque appellari possunt neque existimari. Nam qui quo tempore res illae gestae sunt aut paulo postea de iis iudicarunt, cum tota civitas ac paene etiam singulae domus factionum

plenae essent neque quisquam reperiretur quin aut spe aut metu vinctus teneretur, iudicia iam facta ad causam detulerunt et tam aperte ad suum commodum omnia torserunt, ut fidem iis tribuere raro tantum possimus nec nisi multa adhibita cautione. Neque correcta est horum cupiditas diligentia aut sagacitate posteriorum. Recesserat sane iniquitas temporis, licebat liberam vocem mittere, iam nullae erant causae neque irae neque studii; at qui causam diiudicandam susceperunt aut impares eius magnitudini et difficultati videntur fuisse aut magis delati necessitate propositi quam sua sponte et voluntate ad eam accessisse. Adeo leviter rem attingunt, adeo multa perturbant, adeo nihil afferunt ad controversiam dirimendam. Videsne igitur per totam antiquitatem versata esse in hac causa cupiditatem, errorem, dissensionem?

At qui nostra aetate in rebus Romanorum cognoscendis elaborarunt ne hanc quidem partem neglexerunt. Fateor, neque ereptas iis aut imminutas volo iustas ac debitas laudes. Sed quamquam et antea multi et nuper Drumannus, quem honoris causa nomino, quaecumque de Caesare memoriae prodita sunt accuratissima diligentia conquisiverunt, quamquam quid in quoque testimonio verum esset, quid falsum, admirabili sagacitate investigarunt, quamquam dispersa et male cohaerentia praestantissima arte coniunxerunt et sub uno aspectu posuerunt, tamen nescio quo pacto accidit ut de hac quidem parte historiae Caesaris disputationes illorum virorum et minus copiosae sint et minus probabiles. Nam de multis rebus dissentiunt inter se gravissime, etiam plures tamquam certas constituunt quas, accuratius si quaesiveris, incertas esse

intelliges, totam denique causam pro rei magnitudine breviter tractant et quasi praetereuntes. Ita ne quid ipsi quidem de hac causa statuant, nedum quid necessario statuendum sit, ex eorum disputationibus satis perspicue apparet. Sed longius quam institueram sum provectus: sentio de hoc genere disserendum mihi potius esse quam affirmandum.

Restat nunc ut iis, qui non actam rem, at nugas nos agere querentur, paucis respondeam. Quibus facile concedimus non ut iniuriam propulsaret ad arma descendisse Caesarem, non ut leges remque publicam defenderet Pompeium, sed utrumque aliud obscure molitum esse, aliud specie simulationis ostentasse. At quas ad tempus aptas simulationes, non veras belli causas fuisse fatemur, easdem querellas negligendas silentiove praetereundas esse omnino negamus. An causas rerum tantum earumque eventus spectat historia, quo modo res gestae sint nihil curat? Immo maxime curat. Quid vero? Consiliorum quae quis iniit rationem num perspectam habemus, nisi omnia quae ille egit maxima minima eadem cura examinavimus? Ne ita quidem, si aut falsis opinionibus deceptus inanes umbras secutus est aut parum sibi constans de via plane deflexit. Quod longe secus factum est in illis certaminibus. Nam quantum momenti ad res magnas bene gerendas opinio vulgi atque fama afferret non nostra demum aetate cognitum est. Probe id tenuerunt et Caesar et Pompeius neque quicquam magis in suis contentionibus secuti sunt quam ut suam causam multitudini commendarent, invidiam adversario commoverent, armis quid honeste praetendere possent nanciscerentur. Quid igitur? quod viri summae prudentiae per longum temporis spatium maxima calli-

ditate contentione constantia agebant, quod ut assequerentur magnas iacturas facere et praeclaras rei gerendae opportunitates omittere non dubitabant, in quo maximum adiumentum et prope omnem spem victoriae positam esse iudicabant, num hoc videtur esse indignum in quo cognoscendo studii operaeque vel plurimum ponamus aut tale ex quo nihil nobis redundet commodi delectationisve?

Obscurum igitur atque ignotum idemque cognitione dignissimum est argumentum quod nobis proposuimus. Videamus quomodo sit tractandum.

Sunt autem duae eius partes. Una pars est quae in aperienda causa et quasi in constituenda controversia versatur; ostendit enim quid de C. Caesaris imperio leges statuerint et quatenus mutata sit eius causa Cn. Pompeii tertio consulatu. In altera parte omnia quae Romae de provinciis acta sunt ab anno 703, quo initium certaminis a M. Marcello consule factum est, usque ad Idus Ianuarias anni 705, quo die ad arma itum est, temporis ac rerum ordinem quam diligentissime servantes enarrando persecuti sumus et comprehendimus, eo consilio ut quomodo factum esset ut odia tacitis discordiis diu contenta in funestissimum bellum erumperent plane appareret. Ita autem in his rebus explicandis versati sumus ut, quae ab ipsis veteribus scriptoribus perspicue tradita esse videbantur aut virorum doctorum studiis satis explorata, leviter ea transiremus ac tantummodo perstringeremus, neglecta vero aut male intellecta, etiamsi de via aliquantum declinandum erat aut ultra quam ut probabilia invenirentur progredi non licebat, quam accuratissime perscrutaremur. Augere enim atque emendare voluimus has litteras nostris studiis, non

aliorum inventa artificiose digerere aut vestire atque ornare oratione.

Sed satis dictum est de proposito. Commendo hunc meum libellum aequitati atque humanitati virorum doctorum et peto ab iis in maiorem modum ne ex praestantia eorum, qui et ingenio valent et otio abundant, aestimare velint hominem mediocrem et negotiis distentissimum. Licet enim summa mirari neque tamen spernere inferiora.

Scripsi Berolini a. d. IV Idus Sept. a. MDCCCLVI.

INDEX RERUM.

pag.

I. Quam diem Caesaris imperio praefiniverit lex Vatinia 1

Quomodo et in quod tempus privatis a senatu provinciae demandatae sint 2
De provinciis a populo extra ordinem datis 5
De Pisonis et Gabinii provinciis consularibus 5
Caesari lege Vatinia imperium datum esse usque ad Kal. Mart. anni 700 8

II. Lex Pompeii et Crassi consularis de imperio C. Caesaris 9

Non lege Trebonia Caesari imperium prorogatum esse 10
Quae Cassius Dio XXXIX, 33 de prorogato Caesaris imperio tradit refutantur 11
Caesaris imperium ex lege Pompeii et Crassi pertinuisse usque ad Kal. Mart. a. 705 15
Illustratus Hirtii locus ex bell. Gall. VIII, 39 16
Illustratus locus Coelii ex Cic. ep. ad fam VIII, 11 16
In quod tempus lege Trebonia Pompeio et Crasso provinciae datae sint 18

III. De Cn. Pompeii consulatu tertio 20

Quod consilium contra Caesaris salutem Pompeius inierit 21
De lege decem tribunorum qua Caesari ut absens consulatum peteret permissum est 23
Quas insidias Pompeius Caesari collocaverit 25
Illustratus locus Ciceronis ex ep. ad Att. VII, 7 28

IV. Qui annus Caesari ad consulatus petitionem praescriptus fuerit lege decem tribunorum 30

Explicatus locus Caesaris ex bell. civ. I, 9 33
Quo iure Caesar queri potuerit eripi sibi imperium semenstre.. 34
Explicatus locus Caesaris ex bell. civ. I, 32 35

V. De M. Claudio Marcello consule 39

De successione Galliarum quibus diebus anno 703 in senatu actum sit 40
Marcelli relatio de provinciis 41
Quo tempore Caesari ex sententia Marcelli decedendum fuerit 41
Quae factiones anno 703 in republica fuerint 43
Quo modo et cur Pompeius Marcelli relationibus repugnaverit. 44
Adscriptum fuisse legi de prorogatione imperii Caesariani quo tempore de successione referri liceret 45
Quae de provinciis senatus anno 703 decreverit 46
Quo modo Caesar optimatium consiliis obviam iverit 48
Quae commoda ex certaminibus huius anni Pompeiani ceperint 49

VI. Quid consilii Curio inierit ad causam Caesaris sublevandam 51

De lege Scribonia viaria 54
Supplicationes ob res in Cilicia bene gestas quo tempore Ciceroni decretae sint 57
Quo temporis spatio epistolae ex Cilicia Romam perlatae sint 58

VII. Quid actum sit in senatu de provinciis mense Maio anni 704 62

De epistola Cn. Pompeii ex Campania ad senatum scripta 67
Duae legiones simulatione belli Parthici Caesari ereptae 73
C. Marcelli consulis relatio de provinciis consularibus 74
Curionis, tr. pl., relatio de provinciis 75
Quid actum sit de Curionis intercessione 77

VIII. Priore parte anni 704 acta quemadmodum temporibus divisa sint 78

Pompeium medio mense Aprili in Campania in gravem morbum incidisse neque ante Kal. Quint. Romam rediisse 79
Quo tempore scriptae sint epistolae ad Att. VI, 2 et 3 et ad fam. II, 12 80
Decretum de duabus legionibus quo tempore factum sit 81
Tulliam, Ciceronis filiam, a Dolabella in matrimonium ductam esse ineunte mense Iunio 83
De tempore epistolae ad fam. III, 12 85
Hortensium oratorem mortuum esse medio fere mense Iunio .. 86
Actum esse in senatu de intercessione Curionis mense Iunio .. 86

IX. De comitiis anni 704 87

Cur patres de remittenda intercessione cum tribuno agere noluerint 87
Quale fuerit novum consilium, quod post Curionis intercessionem Pompeius iniit 88

Comitiorum anni 704 eventus 91
Cur Caesar comitia per tribunos non impediverit 92

X. Quae Romae acta sint de causa Caesaris exeunte a. 704 94
Terrores Caesariani in urbe 94
Respublica a C. Marcello consule Pompeio commendata 95
Quae Dio XL, 66 et Appianus bell. civ. II, 32 narrant comparantur 98
De tempore comitiorum anni 704 99
Quo temporis spatio epistolae perlatae sint Roma Athenas et Athenis Ephesum 100
Caesarem profectum esse ex Belgis sub Kalendas Sext., advenisse in Italiam initio mensis Septembris, rediisse in Galliam exeunte eodem mense 101
Perturbationis fastorum insigne exemplum 102
M. Antonium augurem factum esse medio mense Sextili 103
Quo tempore Pompeio custodia reipublicae tradita sit 104
Mense Novembri et Decembri Pompeium ab urbe afuisse 105
Conditiones a Caesare propositae extremo anno 704 106

XI. De primis actionibus L. Lentuli et C. Marcelli consulum anni 705 110
Cur de republica, non de litteris Caesaris consules Kal. Ian. ad senatum retulerint 111
De loco Caesaris, qui extat in bell. civ. I, 2 113

XII. De lege Pupia 119
Perscripta esse senatus consulta in Caesarem a. 705 facta non a. d. VIII, sed a. d. VII Id. Ian. 119
Comitialibus diebus senatum habitum esse exemplis demonstratur 120
Lex Gabinia de legationibus 122
Legem Pupiam Gabiniae tempore antecessisse 124
Magistratus minores qui viginti sex virorum nomine comprehenduntur initio anni creatos esse 127
De tempore legis Pupiae 128
Quomodo factum sit ut, cum tres comitiales dies essent, uno consules de Caesare senatum habere possent, duobus reliquis non possent 129

XIII. Quem morem senatus in decernendis provinciis secutus sit 130
Quo modo provinciae decretae et ornatae sint sexto urbis saeculo 131
Lex Sempronia de provinciis 132
Quo tempore in morem venerit ut consules praetoresque in urbe magistratum gererent et postea in provincias exirent 132
Quid significent verba: lege Sempronia alicui succeditur..... 133

Lex Cornelia de provinciis 136
Explicati loci Ciceronis ex ep. ad Att. VI, 3 et VII, 1 137
De senatus consulto, quod de provinciis anno 701 factum est 139
Lex Pompeia de provinciis 140
Senatus auctoritas de provinciis praetoriis, quae in Cic. ep. ad fam. VIII, 8 legitur, illustratur 141
Quae anno 705 de provinciis a senatu decreta sint 146
Nipperdeii de hac re sententia 147
Quid Zumptius de eadem re statuerit 151
Quibus hominibus anno 705 provinciae obvenerint..... 154
De Fannio, propraetore Asiae 156

XIV. Initium belli..... 158
Senatus consulta de bello..... 159
Quo die Caesar Rubiconem transierit 160

I. QUAM DIEM CAESARIS IMPERIO PRAEFINIVERIT LEX VATINIA.

In quinquennium Caesari imperium datum esse lege Vatinia, quamquam qui illorum temporum memoriam nobis prodiderunt uno ore omnes consentiunt, tamen quo tempore imperium illud quinque annorum terminatum sit, et dubitatum est a multis et potest dubitari recte. Ipsa enim lex quid sanxerit de initio imperii Caesariani aut de fine, perspicuis verbis nusquam traditur; disciplina autem et consuetudo, quam in hoc genere Romani servaverint, adeo non est cognita atque perspecta, ut illud ipsum, utrum firma fuerit et sibi constans, an varia et accommodata ad temporum hominum provinciarum dissimilitudinem, aut prorsus ignoretur aut praetermittatur certe ab iis, qui in cognoscenda antiquitate Romana elaborarunt.

Erant autem, si quomodo provinciae decretae sint quaerimus, tria omnino genera eorum qui cum imperio in provinciis versabantur: primum eorum quibus, cum vel consulatu vel praetura fungerentur, ex legibus ac more maiorum a senatu quotannis provinciae decernebantur, quas adirent defuncti magistratibus; alterum eorum qui, cum privati essent, extra ordinem vel a senatu vel ex auctoritate patrum a populo bello alicui provinciaeve praeponebantur, quod Pompeio accidisse accepimus et Ciceroni, illi bello Sertoriano, huic cum invito ei in Ciliciam cum imperio proficiscendum esset; tertium denique genus erat eorum qui, sive in magistratibus erant sive privati, populari ac turbulenta ratione, praeterito et neglecto senatu, per populum effecerunt ut provinciae sibi demandarentur.

Atque in primo quidem genere quo tempore cuiusque imperium terminatum sit nihil attinet quaerere; nam cum Cornelia lege de provinciis lata sanctum esset, ut praesides provinciarum imperium haberent, dum ex senatus consulto iis successum esset, prout tempora ferebant, modo brevius modo longius temporis spatium in provinciis morabantur, ea tamen conditione, ne manerent ultra tricesimum diem, posteaquam in provinciam advenisset successor.

Diversa erat ratio eorum quos secundo loco nominavimus, ac ne ipsorum quidem semper eadem. Atque primis reipublicae temporibus quotiens vel propter paucitatem magistratuum vel ob bellorum magnitudinem senatus ad extraordinaria imperia decurrebat, qui hoc modo imperium accipiebant in eandem conditionem vocati esse videntur, qua ii erant qui rem gerebant aut in magistratu aut imperio prorogato. Novi aliquid primum constitutum esse accepimus in P. Scipione, cui cum in Hispania imperium esse populus anno 543 iussisset, biennio post senatus non in annum, ut in more institutoque maiorum positum erat, neque omnino in certum quoddam tempus, sed donec senatus consulto revocatus esset imperium prorogavit.[1] Exinde imperia extraordinaria aut in annum data sunt, ut C. Terentio Varroni qui anno 547 in Etruriam missus est, et iis qui ante annum 557 Hispaniam pro consulibus obtinebant,[2] aut terminata sunt non temporis, sed rei gerendae fine, velut, cum Hannibal ante portas esset, placuit omnes qui dictatores consules censoresve fuissent cum imperio esse, donec hostis a muris reces-

[1] Liv. XXVI, 18; XXVII, 7.

[2] De Varrone cf. Liv. XXVII, 35; in annum ei imperium datum esse, ex eo colligi potest, quod anno 548 M. Livius proconsul duas volonum legiones a C. Terentio Varrone propraetore in Etruria accipere iubetur (Liv. XXVIII, 10), neque obstat quod iam anno 546 Varro cum imperio missus esse dicitur, mitti enim anno 547 propraetore non potuit, nisi antea in urbem reverterat. De annuo autem imperio proconsulum Hispaniae vide Liv. XXIX, 13 „*De Hispaniae imperio, quos in eam provinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Acidinum pro consulibus, sic ut priore anno tenuissent, obtinere eas provincias iusserunt.*“

sisset.[3] Sed raro tantum nec nisi difficillimis reipublicae temporibus ad id remedium descensum est; mox, cum bello Punico secundo ad finem perducto res Romanorum in commodiorem statum venissent, extraordinaria imperia ad bella gerenda iam non sunt quaesita. Ultimis demum reipublicae temporibus desuefactum iam ab extraordinariis imperiis senatum ad veteris consuetudinis similitudinem revocavit rerum a Cn. Pompeio gestarum magnitudo atque splendor. Qui vir singularis cum missus a Sulla reliquias Marianorum in Sicilia et Africa confecisset, primo Lepidi conatus restinguere, postea Sertorium bello persequi iussus est, utrumque cum esset privatus et ea ut videtur lege, ut retineret imperium donec rem confecisset. Sed Pompeio fasces dedit senatus, imperium necessitas temporum; neque satis probabantur senatui extraordinaria imperia ne in tanta quidem perturbatione omnium rerum, popularia enim videbantur esse et ventosa, aliena ab eius ordinis gravitate.[4] Quare cum ipsa illa imperia inusitata essent et paene inaudita, certum quendam ordinem in decernendis iis aut circumscribendis tamquam usitatum et legitimum senatus servasse non videtur; immo utilitati serviens ad novos casus temporum novorum consiliorum rationem accommodabat.

Atque ita quidem habitum observatumque est usque ad legem Pompeiam, quae lata est anno 702. Qua lege cum cautum esset ne consules praetoresve ante quinquennium ab exacto magistratu in provincias cum imperio exirent, quod antea extra ordinem factum est in consuetudinem iam venit, ut senatus provincias decerneret privatis. Quare certam quandam regulam fuisse necesse est, ad quam totum negotium dirigeretur. Atque longinqua imperia aut certis terminis non circumscripta non videntur placuisse. Cicero certe, cui ex ea lege Ciliciam obvenisse constat, in annum sibi imperium datum esse his verbis, quae ad Cassium proquaestorem scripsit, aperte significat: *De*

[3] Liv. XXVI, 10.
[4] Cic. Philip. XI, 7 et 8.

me idem tecum his ago litteris, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus annuam esse voluit, temporis prorogetur.[5] Neque eorum diversa videtur fuisse causa, qui eodem anno provincias obtinebant. Nam certum quoddam tempus omnibus praestitutum fuisse, probabiliter confici potest ex his Ciceronis ad Att. VII, 3 verbis: *Sic enim scito, verbum in senatu factum esse numquam de ullo nostrum, qui provincias obtinuimus, quo in iis diutius quam ex senatus consulto maneremus.* Annuum autem eorum imperium fuisse cum ex eo apparet, quod eodem fere tempore, quo Cicero, decessisse traduntur Bibulus ex Syria, Scrofa ex Macedonia, Thermus ex Asia, Silius ex Bithynia, Considius ex Africa,[6] tum id ipsum significat Cicero ad Att. VII, 7: *Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt? numquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi coeptum esset, quam sententiam senatus sequi noluit;* in biennium enim si medio anno 703 provinciae datae essent, sine imperio esse non potuissent extremo anno 704. Ita autem tum in annum provinciae decretae sunt, ut ex eo die quo praeses in provinciam advenisset, qui dies neque in omnibus provinciis idem erat neque in singulis a senatu praefinitus,[7] imperii tempus computaretur, et ut, si statuto tempore successor non advenisset, in periculis certe et asperis temporibus vetus praeses si vellet reipublicae causa maneret, si nollet decederet et quaestorem legatumve provinciae praeficeret.[8] Ceterum ipsam legem sanxisse ne provinciae plus quam

[5] Cic. ad fam. XV, 14. Cf. praeterea ad fam. II, 7, VIII, 10, II, 10; ad Att. V, 15, V, 21, VI, 1.

[6] De Bibulo vide Cic. ad Att. VII, 3, de Scrofa et Silio ad Att. VII, 1, de Considio pro Ligario 1, de Thermo ad fam. II, 18. Ceterum Thermus ante Ciceronem (ad Att. V, 13), Bibulus post Ciceronem (ad Att. V, 18) in suas provincias advenerant.

[7] Cic. ad Att. V, 16: *Bibulus ne cogitabat quidem etiamnunc in provinciam suam accedere. Id autem facere ob eam causam dicebant, quod tardius vellet decedere.*

[8] Alterum colligimus ex eo, quod Cicero ad Att. V, 15 et VII, 3 scribit, sibi, cum pr. Kal. Sext. in provinciam advenisset, decedendum esse a. d. III Kal. Sext., nam de ceteris ex hoc coniecturam facere licet. Alterum

annum obtinerentur non contenderim, neque attinet id quaerere, cum lex illa tam cito in oblivionem veniret, ut bis tantum, anno 703 et 705, provinciae ex ea decernerentur.

Restat iam ut de tertio genere disseramus, quod est eorum qui praeterito senatu provincias adepti sunt per populum. Quorum causa, si quamdiu quisque imperium retinuerit quaerimus, omnino triplex est. Datum enim est imperium aut eadem conditione, qua iis qui ex lege Cornelia provincias obtinebant, donec ex senatusconsulto esset successum, aut praeter consuetudinem donec res esset confecta, cuius gerendae causa imperium datum erat, aut in certum quoddam tempus, quod ipsa lege nominatim praefinitum erat, aliud aliis hominibus.

Atque eorum quos primo loco nominavimus causa ipsa in aperto est, eadem enim erat, quam supra descripsimus; id vero, quod unum dubitari potest, demandatas esse ea conditione provincias etiam a populo, perspicue docet hoc exemplum insigne. Anno 696 Pisoni et Gabinio provinciae datae sunt extra ordinem lege Clodia, alteri Macedonia, alteri Syria. His ut succederetur, iam anno 697 in senatu agi coeptum est, id quod Cicero de prov. cons. 6 significat his verbis: *At iidem vos anno superiore hos eosdem revocabatis, cum in provincias iam pervenissent. Quo tempore si liberum vestrum iudicium fuisset nec totiens dilata res nec ad extremum e manibus erepta, restituissetis, id quod cupiebatis, vestram auctoritatem, iis per quos erat amissa revocatis et iis ipsis praemiis extortis, quae erant pro scelere atque eversione patriae consecuti. Qua e poena si tum aliorum opibus, non suis, invitissimis vobis evolarunt, at aliam multo maiorem gravioremque subierunt.* Revocaturus igitur erat eo anno senatus Pisonem et Gabinium; sed res tunc

apparet ex his Ciceronis ad Att. VI, 6 verbis: *Nos provinciae praefecimus Coelium; puerum, inquies, et fortasse futuum et non gravem et non continentem. Assentior; fieri non potuit aliter.... Tamen, dum impendere Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere aut etiam reipublicae causa contra senatus consultum ipse remanere; qui posteaquam incredibili felicitate discesserunt, sublata dubitatio est.* Praeterea Furfanius, cui anno 703 Sicilia obvenerat, initio anni 705 nondum decesserat, de qua re vide Cic. ad Att. VII, 15.

discussa est ab inimicis Ciceronis, incertum quibus artibus. Insequenti demum anno cum ex lege Sempronia de provinciis ageretur, Macedonia est decreta praetoria provincia, ut Pisoni succederetur initio anni 699, Syria consularis, ut Gabinius decederet initio anni 700.[9] Atque ita factum est; Pisoni enim successit initio anni 699 Q. Ancharius propraetor, Gabinio exeunte eodem anno ante legitimum tempus M. Crassus consul. Haec de tempore imperii illorum memoriae prodita sunt. Fac iam certam diem lege Clodia praefinitam fuisse, quam dicamus? Annum? credibile non est. Biennium? Ne id quidem placet. Quid enim? Si biennium iis illa lege datum esset, quo iure anno 697 senatus illos revocare potuit et provincias eorum futuris consulibus decernere? Consules credo ante annum 699 pro-

[9] Asconius in argum. Pisonianae p. 2 Or.: *Cum revocati essent ex provinciis Piso et Gabinius sententia Ciceronis, quam dixerat de provinciis consularibus, reversus in civitatem Piso de insectatione Ciceronis conquestus est.* His verbis Asconius perspicue significavit, in Ciceronis sententiam senatusconsultum factum esse, quo Piso et Gabinius revocati essent. Atque vere id contendit. Nam quod opponi potest, quod duplex est, primum Ciceronem et Syriam et Macedoniam futuris consulibus decrevisse, Macedoniam autem factam esse praetoriam, alterum, non senatusconsulto, sed lege Trebonia traditam esse Crasso Syriam, negari id quidem non potest, conveniet autem in Asconii sententiam, si in hunc modum rem gestam esse statueris. Decretae sunt ex Ciceronis sententia Macedonia et Syria futuris consulibus. Deinde, ut mos erat, de praetoriis provinciis relatum est. Quo facto Cicero, id quod se facturum ipse in oratione de prov. cons. c. 7 significat, easdem illas provincias decrevit praetorias, ut et praetores provincias annuas haberent et Piso et Gabinius quam primum decederent. Atque id quidem, ut uterque statim decederet, patribus non persuasit, perfecit tamen, ut Pisoni Ancharius praetor successor mitteretur. Denique ubi Pompeius et Crassus consules facti sunt, ille quidem provincias a senatu decretas, quippe quae alienae a suis rationibus essent (cf. ad Att. IV, 9), aperte aspernatus est, Crassus vero Syriam cupide arripuit, id tantum prospiciens ut tempus imperii prorogaretur et copiis, sumptu, aliis rebus provincia splendidius ornaretur. Quorum utrumque cum factum esset lege Trebonia, illa ipsa lege ut Hispaniae Pompeio, ita Crasso Syria data esse recte potuit dici, eodem modo quo Pisoni Macedonia data esse dicitur lege Clodia, quamquam Clodius, qui Gabinio provinciam mutaverat, in Pisone satis habuit fines imperii a senatu dati auxisse. Cf. Cic. in Pis. 39 et 16 p. Sext. 25 p. domo 9. Sed hanc quaestionem de Pisonis et Gabinii provinciis, utrum easdem senatus antea decreverit necne, pono tantum hoc loco, non pertracto; est enim late patens et nostro proposito minus necessaria.

vincias adituri non erant. At illo ipso anno, quo in urbe magistratum gerebant, consules vacuas provincias habere oportuit, ne si exire ipsis placeret impedirentur.[10] An legem Clodiam tamquam per vim latam legem esse senatus negavit? At si hanc causam suo decreto senatus praetendisset, sine dubio aliquis tribunus intercessisset.[11] Intercessione autem si res esset impedita, et Cicero dè prov. cons. c. 6 parum accurate rem exposuisset, quod cur credamus nulla causa est, et senatum ex lege Sempronia, antequam novi consules creati essent, alias provincias consulares nominare oportuisset, id quod neque tunc factum est neque postea; nam Cn. Lentulus Marcellinus et L. Marcius Philippus consules anni 698 provincias ex consulatu omnino non acceperunt. Quae cum ita sint, in eandem conditionem Pisonis et

[10] Cic. de prov. cons. 15: *Alter* (qui citeriorem Galliam futuris consulibus decernit) *belli Gallici rationem habet; fungitur officio boni senatoris; legem quam non putat, eam quoque servat, praefinit enim successori diem. Atqui mihi nihil videtur magis a dignitate disciplinaque maiorum dissidere, quam qui consul Kalendis Januariis habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere videatur. Fuerit toto in consulatu sine provincia, cui fuerit, antequam designatus esset, provincia decreta. Sortietur, an non? Nam et non sortiri absurdum est, et quod sortitus sis non habere. Proficiscetur paludatus? Quo? quo pervenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario provinciam non habebit. Kalendis ei denique Martiis nascetur repente provincia.* Cf. quae Garatonius ad hunc locum annotat. Eodem modo C. Calpurnius Piso consul anni 687, quamquam in urbe versabatur, Galliam Narbonensem habuisse dicitur; v. Dio XXXVI, 20. Neque alia causa videtur fuisse, cur P. Servilius Isauricus consul a. 675, quamquam ab anno 676 usque ad 679 provinciam Ciliciam administravit, per quinquennium (Cic. in Verr. III, 90), et Piso ille, de quo supra diximus, qui exeunte anno 696 in provinciam abiit (Cic. ad Att. III, 22), initio anni 699 rediit, (Ascon. in Pisonian. p. 1 ed. Or., Val. Max. II, 4, 6) per triennium (Cic. in Pis. 35) provinciis praefuisse dicantur. Ceterum haec res impedimento non erat, quominus in provinciam, quae consularis decreta erat, praetor mitteretur, ut eo anno, quo consul in urbe retineretur, provinciam administraret (de prov. cons. 7); praetorium enim imperium, quamquam legitimum erat, non mandatum a consulibus, tamen cum minus esset, adeo non obstabat maiori imperio consulari, ut saepe praetores consulibus adderentur adiutores.

[11] Quamquam lex Sempronia sanxerat, ne quis intercederet, quominus senatus de provinciis consularibus statueret (de prov. cons. 8), tamen recte potuit intercedi, ne cui ante tempus lege praefinitum successor mitteretur (l. l. c. 15). Qua de re vide quae infra de lege Pompeia disputavimus.

Gabinii provincias vocatas esse puto, qua eae erant quas senatus quotannis ex lege Sempronia decernebat.

Sequitur ut de iis dicendum sit quibus certo tempore non praescripto rei gerendae fine imperium terminatum erat. Quorum causa longam disputationem non desiderat. Quoniam enim quae res nominatim data erat a populo, a senatu adimi non poterat, decedebant illi aut negotiis transactis aut abrogatis imperiis. Est autem imperium ea conditione datum et Cn. Pompeio lege Manilia, quae belli Mithridatici administrationem a L. Lucullo ad illum transtulit, et M. Porcio Catoni lege Clodia, qua missus est quaestor pro praetore in insulam Cyprum, ut Ptolemaeum regno spoliaret, pecuniam eius deportaret, insulam in provinciae formam redigeret.

Veniamus nunc ad eos quos tertio loco nominavimus, quo in numero et Caesarem fuisse notum est, et Pompeium, cum lege Trebonia Hispaniarum imperium in quinquennium accepisset. Quibus quamquam ipsis legibus non solum in certum quoddam tempus imperium datum, sed etiam dies decessionis accurate praefinitus erat,[12] tamen, cum illae leges non iam extent et scriptores rerum negligenter in hac ratione versentur, quando cuique decedendum fuerit in plerisque ignoratur. Quaeritur igitur, unde computandum esse putemus imperii tempus, quod lege nominatim datum sit. Quam ad rem si similitudinem eorum quibus senatus extra ordinem in certum tempus imperium mandavit transferre liceret, profligata esset quaestio et paene ad exitum adducta; decedendum enim fuisset Caesari, quoniam initio mensis Aprilis anni 696 in Galliam advenit, eodem mense anni 701. At non licet. Anno enim 698 cum ex lege Sempronia de provinciis consularibus ageretur et quattuor sententiae dictae essent, quarum prima duae Galliae, altera Syria Macedoniaque, tertia citerior Gallia cum Syria, quarta ulterior Gallia et Syria futuris consulibus decretae erant, Cicero, qui secundam sententiam defendit, eos qui citeriorem Galliam

[12] De hac re vide quae paulo infra de lege Pompeii et Crassi exposuimus.

decreverant, hoc nomine laudavit, quod legem quam non putarent, eam quoque servarent, praefinientes Kalendas Martias anni 700 consuli diem, ante quam provinciam non attingeret.[13] Quae cum ita sint, id quidem apparet, Caesaris imperium ex lege Vatinia usque ad Kal. Mart. anni 700 pertinuisse;[14] ac ne hoc quidem dubitari potest, quin imperii tempus computandum non sit neque ex die quo Caesar in provinciam advenerit, neque ex eo quo lex perlata sit; advenit enim in provinciam initio mensis Aprilis anni 696, et Kal. Martiis cum populo agi non potuit, quippe qui dies comitialis non esset. Sequitur ut ipsa lex accurate praefiniverit, ex quo die usque ad quem Caesar imperium haberet. Ceterum in hac ipsa die praefinienda Vatinium a consuetudine recessisse Cicero aperte significat his verbis, quae in oratione de prov. cons. c. 16 leguntur: *Monemur a fortissimo viro atque optimo post hominum memoriam consule, ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis alicui decernatur post eos consules qui nunc erunt designati perpetuoque posthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur.* Nam cum Caesaris provinciae eodem die quo ceterae adiri non possent ideoque ne decerni quidem de iis liceret eo tempore, quo de ceteris statui solebat, periculum erat ne ea provincia tamquam vacua in perpetuum a senatu ad populum transferretur.

II. LEX POMPEII ET CRASSI CONSULARIS DE IMPERIO C. CAESARIS.

Prorogatum esse Caesari imperium anno 699 extra ordinem per populum, id quidem omnes, qui eorum temporum memoriam prodiderunt, summo consensu affirmant; relinquitur autem

[13] Cic. de prov. cons. 15.

[14] Ulterioris Galliae, quam senatus Caesari tradiderat, diversam causam fuisse, Cicero l. l. ostendit. In eandem autem conditionem vocata est lege, quam postea Pompeius et Crassus de imperio Caesaris tulerunt.

in dubitatione, et quis prorogaverit et quod in tempus prorogatum sit.

Quarum rerum prior facilis est neque longam orationem desiderat. Nam quod vulgo credunt, C. Trebonium, tribunum plebis, non solum Pompeio et Crasso provincias dedisse, sed etiam altera lege Caesari imperium prorogasse, id quidem falsum esse multi veterum scriptorum loci evincunt. Satis erit hos attulisse: Velleium II, 46 *Caesari lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatae in idem spatium provinciae*; Cic. Phil. II, 10 *Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim. Ea velim reprehendas, si potes: unum ne quinquennii imperium Caesari prorogaret, alterum ne pateretur ferri ut absentis eius ratio haberetur;* Hirt. b. Gal. VIII, 53 *Nam Marcellus proximo anno, cum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeii et Crassi retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis.* Qui loci praeterea documento sunt, consules non solum auctores, sed etiam latores eius legis fuisse. Tulerunt autem legem[1] Pompeius et Crassus ex pactione, quam proximo anno Lucae cum Caesare fecerant, ut ipsi consulatum et provincias adipiscerentur, Caesari imperium prorogaretur.[2] Haec habui de latore legis quae dicerem; nunc quale id sit quod sanctum sit videamus.

Qua de re maxima est inter veteres rerum scriptores dissensio. Nam Dio Cassius XXXIX, 33 haec narravit: Γάιος Τρεβώνιος δημαρχῶν ἔγραψε τῷ μὲν τήν τε Συρίαν καὶ τὰ πλησιόχωρα αὐτῆς, τῷ δὲ τὰς Ἰβηρίας (καὶ γάρ τι καὶ ἔναγχος ἐκεκίνηντο) ἄρχειν ἐπὶ πέντε ἔτη δοθῆναι, στρατιώταις τε ὅσοις ἂν ἐθελήσωσι καὶ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν συμμάχων χρωμένοις, καὶ πόλεμον καὶ εἰρήνην πρὸς οὓς ἂν βουληθῶσι ποιουμένοις. Χαλεπῶς οὖν ἐπὶ τούτῳ πολλῶν, καὶ μάλιστα τῶν τοῦ Καίσαρος φίλων, ἐχόντων, ὅτι ἤμελλον

[1] Non eadem lege, qua Pompeio Hispania, Crasso Syria data est, Caesari alterum quinquennium additum esse, ex Plut. Cat. 43 bene collegit Drumannus in historia Rom. III p. 283; errat autem in eo quod alteram quoque legem Treboniam appellat.

[2] Plut. Caes. 21. Suet. Caes. 24.

ἐκεῖνοι, τυχόντες ὧν διῳκοῦντο, τὸν Καίσαρα μηκέτ' ἐπὶ πολὺ τὴν ἀρχὴν ἔξοντα καθείρξειν, καὶ παρασκευαζομένων διὰ τοῦτο ἀντειπεῖν τινῶν τοῖς γεγραμμένοις, φοβηθέντες οἱ ὕπατοι μὴ διαμάρτωσιν ὧν ἔπραττον, προσεποιήσαντο αὐτοὺς ὥστε τὴν ἡγεμονίαν καὶ ἐκείνῳ τρία ἔτη πλείω, ὥς γε τἀληθὲς εὑρίσκεται, μηκῦναι. Οὐ μέντοι καὶ ἐς τὸν δῆμόν τι ὑπὲρ αὐτοῦ πρότερον ἐσήνεγκαν πρὶν τὰ σφέτερα βεβαιώσασθαι. Contra ea Appianus de bellis civ. II, 18 tradidit: αἱρεθέντες ὕπατοι Κράσσος τε καὶ Πομπήϊος Καίσαρι, ὥσπερ ὑπέστησαν, τὴν ἑτέραν πενταετίαν προσεψηφίσαντο; et eius sententiae assentiuntur Cicero Phil. II, 10, Velleius II, 46, Livius epit. 105, Plutarchus Pomp. 52, id est omnes, qui huius rei mentionem faciunt. Quae cum ita sint, cum Dio triennium, ceteri scriptores quinquennium Caesari additum esse asseverent, idque non dubitanter aut ambigue, sed cum quadam affirmatione et tam perspicuis verbis, ut interpretando ad elevandam dissensionem nihil proficias, aut omnino desperanda est veritas, aut eligere nos oportet aestimatione facta utram sequi malimus auctoritatem. Quae via veri investigandi etsi praeceps est et lubrica, tamen hac quidem in re neque clausa videtur esse, neque ita impedita, ut cautione adhibita insistere aut ingredi ea non possimus sine casu aliquo aut prolapsione. Dionis enim auctoritatem quamvis licet extollas, et iure magna putatur, tamen cum ceteri scriptores omnes ex altera parte collocati sint, sive numero testium sive pondere iudicari malueris, vix nobis persuadebis ut in eius potissimum sententiam discedamus. Huc accedit quod Dio non dissimulavit se de prorogatione narrare, non quod in annalium monumentis invenisset, sed quod ipse diligenti rerum gestarum contemplatione verum esse cognovisset. Qua confessione ipse suam fidem mirum quantum infirmat. Repudiare enim et corrigere narrationem eorum, qui rebus gestis interfuerunt aut ab illis edocti sunt, id quidem licet historico, interdum plane est necesse; sed tot tantasque cautiones habet ea res, ut nemo eam suscipiat, quin aut inertissimae segnitiae aut fastidii delicatissimi crimen subeat, nisi antea illorum errorem mendaciumve manifeste coarguerit et suam ipse sententiam

firmissimis argumentis comprobaverit. Quorum officiorum neutrum praestitit Dio aut praestare omnino conatus est. Immo ipsae illae res, quibus sententia eius niti videtur, eiusmodi sunt, quibus argumentationis vanitas facile deprehendatur.

Atque duae res sunt, quae in errorem videantur eum induxisse. Una in eo posita est, quod persuadere sibi non potuit, Vatinia lege Caesari, qui ante annum 696 provinciam non attigisset, decedendum iam fuisse initio anni 700, id est quattuor non amplius annis exactis. Quo factum est ut unum annum, quem addidit quinquennio priori, de altero necessario detraheret. Atque hoc quidem facere debuit, etiamsi de tempore decessionis nihil novaret.

At ne de illo quidem cum ceteris scriptoribus consentit. Nam in lib. XL cap. 59, ubi narrat M. Marcellum consulem anno 703 ad senatum retulisse, ut Caesari ante tempus legitimum successor mitteretur, haec addit: ὁ Πομπήϊος τὸ μὲν δὴ τὸν Καίσαρα τῆς ἡγεμονίας παραλυθῆναι οὐδὲ ἑαυτῷ ἀρέσκειν ἐπλάττετο· ἔπραττε δ' ὅπως, ὅταν τὸν δεδομένον οἱ χρόνον διάρξῃ (τοῦτο δὲ οὐκ ἐς μακρὰν, ἀλλ' εὐθὺς ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει γενήσεσθαι ἔμελλε), τά τε ὅπλα καταθῆται καὶ ἰδιωτεύσων οἴκαδε ἐπανέλθῃ. Adde his verbis quae Coelius (ad fam. VIII, 8) de eadem re ad Ciceronem scribit: *Illa praeterea Cn. Pompeii sunt animadversa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Kal. Mart.* (anni 704) *non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post Kal. Mart. se non dubitaturum.* Iam intellexeris ex Dionis sententia Caesaris imperium lege datum circumactum fuisse iam anno 704, et quidem initio eius anni. Atque nactus est huius sententiae socium unum Appianum, qui quamquam in quinquennium Caesaris imperium prorogatum esse consentit, non laborans quam sibi constanter convenienterque, anno 704 eidem decedendum fuisse affirmat.[3] Videsne iam

[3] Appianus bell. civ. II, 26: εἰσηγεῖτο δὲ ἤδη καὶ διαδόχους αὐτῷ πέμπειν ἐπὶ τὰ ἔθνη, προαφαιρῶν τοῦ χρόνου. Ἀλλὰ διεκώλυσεν ὁ Πομπήϊος εὐπρεπείᾳ τε λόγου καὶ εὐνοίας ὑποκρίσει, μὴ δεῖν ἄνδρα λαμπρὸν καὶ ἐς πολλὰ χρήσιμον τῇ πατρίδι γενόμενον ὑβρίζειν βραχεῖ διαστήματι χρόνου. Καὶ δῆλον ἐποίησεν, ὅτι χρὴ μετὰ τὸν χρόνον παραλύειν τῆς ἀρχῆς αὐτίκα τὸν Καίσαρα. Καὶ ἐπὶ τῷδε οἱ μάλιστα ἐχθροὶ τοῦ Καίσαρος ἐς τοὐπίσω ἠρέθησαν ὕπατοι.

unde altera causa erroris Dioni enata sit? An non perspicuum est, hac ratione quinquennio legis alterum annum adimi? Quare cum quinquennium Dio spernit et reiicit, constanter id quidem facit; frustra enim reprehendas consequens, cum concesseris primum. Id autem primum quam vere dixerit, mox viderimus.

Sunt autem multa quae Dionis errorem convincant. Et primum quidem qui quinquennium Caesaris imperio lege Pompeii et Crassi additum esse putat, idem decedendum fuisse Caesari anno 704 contendere non potest; contenderet enim ea quae non sint apta et inter se convenientia. Quod neque Dionem effugit neque difficile est ad intelligendum; utcunque enim annos proconsulatus Caesaris numeraveris, id certe nunquam efficies ut anno 704 decem anni videantur praeteriisse. Quare non solum eos scriptores, qui de decessionis tempore nominatim nihil tradunt, qui multi sunt, refragari Dioni statuendum est, sed etiam Appianum ipsum, qui immemor suae in alienam sententiam transiit; nam non quid quisque dicat, sed quid cuique consentaneum sit dicere, id nos spectare oportet.

Deinde Suetonius Caes. 26 *Caesar*, inquit, *egit cum tribunis plebis, collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut absenti sibi, quandoque imperii tempus expleri coepisset petitio secundi consulatus daretur*; ex quibus verbis intelligitur petitionem illam extraordinariam ad ultimum imperii annum pertinuisse. Atqui paulo infra certis argumentis demonstrabimus non voluisse modo, sed iure suo voluisse Caesarem alterum consulatum petere anno 704. Ex quo perspicuum est ante comitia anni 704 tempus imperii expletum non fuisse, id quod, cum Dio de initio anni cogitet, satis est ad eius sententiam refellendam.

Denique et Cicero et Caesar, qui non solum intererant his rebus, sed praeerant, quantumvis de ceteris rebus dissentiant, de hac certe aperte consentiunt, anno 704 Caesari ex lege decedendum non fuisse. Cicero enim extremo mense Decembri anni 704 ad Atticum VII, 9 haec scripsit: *De reliquis quid est deterrimum? Concedere illi quod impudentissime postulat. Nam quid impudentius? Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a*

senatu, sed a te ipso per vim et factiones datos. Praeteriit tempus, non legis, sed libidinis tuae; fac tamen, legis: ut succedatur decernitur: impedis et ais: Habe mei rationem. Habe tu nostrum. Exercitum tu habeas diutius quam populus iussit invito senatu? Quae verba non ad id tempus pertinent quo Cicero litteras scripsit, sed quo senatus de provinciis erat acturus et Cicero eadem de re sententiam dicturus, id est ad initium anni 705. Quod si ita est, et ita esse cum sententiarum ordo docet, tum ex eo intelligitur quod Caesar provinciam tenuisse dicitur per decem annos, verba *praeteriit tempus legis* Dionis sententiae nihil confirmationis afferunt. Quae sequuntur autem verba: *exercitum tu habeas diutius quam populus iussit invito senatu*, cum maxime Dioni repugnant, quippe quae perspicue significent extremo anno 704 imperii tempus nondum fuisse circumactum. Atque haec quidem de Cicerone. Caesar vero in commentariis de bello civili I, 9 narrat, se initio anni 705 cum alia tum haec Pompeio scripsisse: *Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset.* Quo loco comitia quae dicuntur proxima intelligi licet aut comitia anni 704 aut comitia anni 705; tertium est nihil. Atqui semenstre imperium sibi ereptum Caesar queritur. Pertinuit igitur eius imperium, si illud placuerit, usque ad initium anni 705, si hoc, usque ad initium anni 706, neque ulla ratio extat qua perveniamus ad primam partem anni 704.

Iam satis demonstrasse nobis videmur auctoritati Dionis, quam magnam esse ne nos quidem negamus, obstare maiorem, et eam qua maior requiri possit nulla. Atque in hac acquiescimus. Nam quae praeterea valent ad refellendum, quae duo sunt, alterum ut indicemus causam erroris, alterum ut ostendamus salva Dionis sententia quae postea de Caesaris provinciis acta sint satis bene non procedere, eorum illud quidem in enarratione rerum a M. Marcello gestarum facilius expediemus, hoc vero praestari omnino non potest, nisi omnibus rebus, quae huic disputationi propositae sunt, accurate explicatis.

Reliquum est ut quem finem ipsi Caesaris imperio statuamus argumentis additis indicemus. Discedere autem hac de re sententiae possunt in tres omnino partes; nam sive anni 704 initium induxeris, sive anni 705, sive anni 706, erit tibi aliqua tuae sententiae ratio, quartum vero quod proferas, quod ego quidem sciam, non est. Iam cum Drumanno[4] de initio anni 706 cogitare propter ea quae supra de lege Vatinia disputavimus integrum non est; Dionem autem, cui initium anni 704 placet, iusto artioribus finibus Caesaris imperium circumscripsisse modo ostendimus. Necessario igitur in eam sententiam adducimur, ut finitum esse illud imperium putemus initio anni 705. Age porro: Suetonius in vita Caesaris c. 26, quem locum supra attulimus, datum esse Caesari plebiscito scribit, ut ultimo imperii anno consulatum absens peteret. Petere autem Caesarem ex lege voluisse anno 704 infra demonstrabimus. Sequitur, ut ante comitia anni 705 Caesari decedendum fuerit. Denique in decennium imperium Caesari datum esse confessum est; item prius quinquennium Kal. Mart. anni 700 exiisse negari non potest; consentaneum igitur videtur esse alterum quinquennium pertinuisse usque ad eundem diem anni 705.

His conclusionibus quaestio videtur esse profligata et paene ad exitum adducta. Nam veterum scriptorum locos, qui bene in nostram sententiam conveniunt, qui multi sunt, singillatim afferre, quippe quod ad vim argumentationis augendam non multum valeat, in animo non est. Unum superest, ut quae res obstare videantur diligenter circumspiciamus et doceamus posse eas etiam in nostram causam accommodari.

Quo loco non commemoro Dionis et Appiani locos supra a nobis allatos, sunt enim reiecti; neque id, quod Caesar b. c. I, 9 queritur, semenstri imperio se privatum esse, conveniens enim id nostrae sententiae esse paulo infra ostendemus. Ne eo quidem moveor, quod, cum a. d. VII Id. Ian.[5] anni 705 senatus decrevisset ut Caesari succederetur, minutum sibi imperium

[4] Vide hist. Rom. vol. III, p. 241.
[5] Caes. bell. civ. I, 5.

esse ille numquam questus est. Nam senatus decrevit ut Caesar exercitum dimitteret ante diem certam,[6] illa autem quae fuerit neque traditur neque, cum Caesar initium armorum fecerit, ex eo colligi potest quod Domitius, qui ei succedere iussus est, statim in provinciam videtur abiisse. Maioris momenti sunt quae Hirtius bell. Gall. VIII, 39 de incolis Uxelloduni narrat, qui anno 703 contra Caesarem rebellaverant: *Quorum etsi paucitatem Caesar contemnebat, tamen pertinaciam magna poena esse afficiendam iudicabat, ne universa Gallia non sibi vires defuisse ad resistendum Romanis, sed constantiam putaret, neve hoc exemplo ceterae civitates locorum opportunitate fretae se vindicarent in libertate", cum omnibus Gallis notum esse sciret reliquam esse unam aestatem suae provinciae, quam si sustinere potuissent, nullum ultra periculum vererentur.* Dubitari potest an illa una aestas, quae reliqua erat Caesaris imperio, fuerit anni 703. At illa aestas prope omnis erat peracta, nam Uxelloduno capto Caesar in Aquitaniam profectus est, ut ibi extremum tempus aestivorum consumeret, et postquam eam rem celeriter feliciterque confecit, nam omnes Aquitaniae civitates legatos miserunt et obsides dederunt, exercitum per legatos in hiberna deduxit.[7] Quid igitur obstet quominus illam aestatem ad annum 704 referamus ego quidem non video. Id autem si licet, non est quod in Hirtii verbis offendamus.

Venimus ad epistolam ad fam. VIII, 11, quam mense Aprili anni 704 Coelium ad Ciceronem scripsisse postea docebimus, in qua haec leguntur: *Quod ad rempublicam attinet, in unam causam omnis contentio coniecta est, de provinciis: in quam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar Id. Novembr. decedat. Curio omnia potius subire constituit quam id pati; ceteras suas abiecit actiones. Nostri porro, quos tu bene nosti, ad extremum certamen rem deducere non audent. Scena rei totius haec: Pompeius, tamquam Caesarem non impugnet, sed quod illi aequum putet constituat, ait Curionem quaerere discordias. Valde autem non vult et plane timet Caesarem con-*

[6] Caes. bell. civ. I, 2.
[7] Hirtius bell. G. VIII, 46.

sulem designari prius quam exercitum et provinciam tradiderit. Accipitur satis male a Curione et totus eius secundus consulatus exagitatur. Hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem, Caesar defendetur; intercessorem si, quod videntur, reformidabunt, Caesar quoad volet manebit. Haec verba novi aliquid de re in controversiam vocata videntur inducere; quoniam enim Pompeius cum senatu in id incubuisse dicitur ut Caesar Idibus Nov. decederet, facile in eam sententiam duci possumus, ut eam ipsam diem Caesari lege praestitutam esse existimemus. Quod cum statui non possit quin omnes nostrae rationes plane perturbentur, operae pretium videtur esse diligentius in ea verba inquirere, si quid deprehendatur quod falsam esse eam interpretationem ostendat. Postulavit igitur Pompeius ut Caesar Id. Nov. decederet duabus de causis, primum ut quod Caesari aequum esset constituere videretur, deinde ne Caesar consul designaretur antequam exercitum et provincias tradidisset. Iam exiisse potest Caesari tempus imperii aut ea ipsa die aut antea aut postea. Fac exiisse id antea; quid tum postulavit Pompeius? Num quod Caesari aequum esset? Immo largitus est aliquantum. At neque largiendi causa erat neque, si fuisset, omittendi amplam gloriandi occasionem. Age porro: illa ipsa die sit circumactum Caesaris imperium; quid tum? apertum credo est, cur Pompeius aequitatis potius quam legum patrocinium se suscepisse glorietur. Et Curio, quae tandem causa erat, cur ipsum secundum Pompeii consulatum exagitaret, quo lex illa de Caesaris altero quinquennio lata erat? An ipsa lege satis accurate aut perspicue de hac re, tanta praesertim, sanctum esse negas? Qui potes? cum quantam curam et quam minutam subtilitatem Romani ad conscribendas leges adhibuerint nemo sit qui ignoret. Videsne iam nihil esse reliquum, nisi ut postea imperii diem exiisse dicamus? Ita autem si est, quid tandem, quaeso, inest in Coelii verbis quod nostrae rationi officiat? Nimirum nihil; satisfecimus causae nostrae.

At aliud est quod de his verbis quaeri possit, quod cum ad summam rei, quam suscepimus, cum maxime pertineat et

suo loco minus commode explicetur, silentio praetermittere nolui. Inest autem difficultas in eo, quod Pompeius questus est Curionem discordias quaerere, cum ipse quod Caesari aequum esset constitueret. Quid enim? si Pompeius mense Aprili anni 704 postulavit ut Caesar Id. Nov. eiusdem anni decederet, quo tandem iure id fecit, quid spectans? Nimirum ne Caesar, antequam exercitum dimisisset, consul designaretur, id quod sine summo reipublicae periculo fieri non posset. At quo anno Caesarem designari noluit? Anno 705? Credibile non est. Creabantur enim consules mense Quinctili, i. e. octo mensibus post Idus Novembres. Eripere autem imperium Caesari quo tempore officere publico commodo nondum coepisset, praesertim cum exiturum esset antequam officere omnino posset, nullam habuit aequitatem. Pervenimus igitur necessario in eam sententiam, ut Pompeium impedire voluisse dicamus, quominus Caesar absens exercitu retento consulatum peteret anno 704. Atque id ipsum est, quod demonstrare voluimus. Suspicamur autem hoc modo rem gestam esse.

Retulerat illo tempore C. Marcellus consul ad senatum ut Caesari quam primum succederetur, ne consul designaretur antequam exercitum dimisisset. Intercesserat deinde Curio, tribunus plebis, ut ipse prae se ferebat, propugnans legibus et maiestati populi Romani, revera quod magna mercede conductus causam Caesaris receperat. Qua intercessione cum tota res impediretur et omnia mirum quantum iacerent, Pompeius aucupans famam moderationis, simul ut id quod vehementer expetiit assequeretur, has conditiones tulit, ut Caesar, si consulatum hoc anno petere vellet, antea de provincia decederet, comitia vero, ne Caesar ultra quam satis premeretur, in Idus Novembres reiicerentur. Acceptae eae conditiones non sunt; quo factum esse puto ut cito oblivione obruerentur. Sed longius quam institueram sum provectus; redeamus ad propositum.

Nondum autem emersimus ex difficultatibus; superest gravissima. Pompeius enim et Crassus, ut Caesar, item in quinquennium suas provincias acceperunt, adierunt autem ante Kal. Mart. anni 700; Crassus certe non solum in consulatu mense

Novembri Roma paludatus exiit, sed antea iam legatum miserat qui suo loco Gabinio succederet.[8] Consentaneum igitur videtur esse eorum ante Caesaris imperium transactum fuisse. Quid vero? quibus summa aemulatio cum Caesare intercedebat, eosne putemus non modo passos esse, sed etiam magno opere contendisse[9] ut, cum ipsi omni potestate spoliati ad privatam conditionem rediissent, Caesar esset cum imperio? Credi non potest. Quid ergo? Dilatatum esse in illis viris quinquennium dicamus an in Caesare imminutum? At illis quidem quando imperii tempus exierit nullo vestigio indicatur, ne levissimo quidem; Caesari vero ante annum 705 decedendum non fuisse multis et firmis argumentis antea comprobavimus. Huc accedit quod, si dilatatum illis imperium statuerimus, exemplum afferre possumus ad nostram rem vel maxime accommodatum. Nam Antonio, Octaviano, Lepido, III viris reipublicae constituendae, imperium et datum esse et prorogatum in quinquennium omnes scriptores uno ore affirmant. Tamen prioris quinquennii tempus finitum est ex a. d. V K. Dec. ad pr. K. Ian. sext., id est ex a. d. V Kal. Dec. anni 711 usque ad prid. Kal. Ian. 717; alterum vero quinquennium pertinuit inde ab eo die, quo foedus Tarentinum iunctum est, quod anno fere medio 717 factum esse constat, usque ad Kal. Ian. anni 723.[10] Utrumque igitur quinque annos excessit, alterum triginta quinque diebus, alterum compluribus mensibus. Quae cum ita sint et cum lex Trebonia exeunte anno videatur lata esse,[11] iure nostro con-

[8] Cic. ad Att. IV, 13. Dio XXXIX, 60.

[9] Plut. Cato min. 43. Cic. Phil. II, 10, ad Att. VIII, 3.

[10] Alterum apparet ex lapide Colotiano, quem typis describendum curavit Baiterus in fastis consularibus p. 245, qui adiecti sunt Orellianae editioni Ciceronis in vol. VIII; alterum luculenter demonstravit Zumptius in commentationum epigraphicarum volumine I, p. 24.

[11] Latam eam legem non esse ante Kal. Maias ostendunt haec verba Ciceronis ad Att. IV, 9: *Nos hic cum Pompeio fuimus. Multa mecum de republica, sane sibi displicens, ut loquebatur (sic est enim in hoc homine dicendum), Syriam spernens, Hispaniam iactans.* Reiicienda est fortasse in initium Novembris propter haec quae Cicero ad Att. IV, 13 scribit: *Romae a. d. XIII Kal. Decembr. volumus esse.... Afuisse me in altercationibus, quas in senatu factas audio, fero non moleste; nam aut defen-*

tendere nobis videmur et Caesaris et Pompeii imperio praefinitam fuisse eandem diem, Kal. Martias anni 705.

III. DE CN. POMPEII CONSULATU TERTIO.

Si de tempore imperii Caesariani recte statuimus aut si id tantum probavimus, certam diem lege nominatim fuisse praefinitam, de qua controversia esse non posset; mirum nobis debet videri, quid sit quod causam praebuerit et Pompeio Caesaris premendi et Caesari inferendi bellum patriae. Sine causa enim, non dicam iusta aut honesta, probabili tamen et speciosa aggressos illos rem omnibus civibus adeo luctuosam et in qua tanti esset opinio vulgi, quis sibi persuadeat, qui modo umquam mediocriter civilium certaminum rationem scire curavit? Quaerendum igitur est, quem titulum illi suis conatibus praetenderint. Cuius rei initium nobis capiendum est a Cn. Pompeii tertio consulatu, quem a. u. 702 gessit, primo solus, postea assumpto collega Scipione, socero suo. Etsi enim iam antea metuere coeperat, ne laurea magnis periculis parta longo intervallo viriditatem amitteret, etsi iam diu Caesaris opes suspectas habuerat et signa quaedam dederat non obscura abalienatae a Caesare voluntatis, tamen quod re vera illius causae officeret aut quod valeret ad societatem dirimendam nondum susceperat quicquam. Tum vero, cum iam opes omnes et suas et populi Romani ad Caesarem detulisset seroque id sensisset, relicto cursu actionum suarum totus et mente et animo in id insistere coepit, ut aemulum coerceret et si posset everteret.[1]

dissem quod non placeret, aut defuissem cui non oporteret. Sed mehercule velim, res istas et praesentem statum reipublicae et quo animo consules ferant hunc σχυλμὸν *rescribas ad me, quantum potest.* Nam ad provincias eas altercationes pertinuisse colligo ex verbis, quae statim sequuntur: *Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim aequalem eius L. Paullum, iterum consulem.*

[1] Velleius II, 47 *Tertius consulatus soli Cn. Pompeio etiam adversantium antea dignitati eius iudicio delatus est, cuius ille honoris gloria velut*

Quod cum non posset neque per populum neque vi aperta, nam et amore populi et armis illo quidem tempore longe superior erat Caesar, necessario eo descendit ut et optimatium gratiam sibi recuperaret et eorum opibus adiutus ex occulto ageret atque ex insidiis. Atque illud quidem facillimum erat ad explicandum. Adeo enim non animi modo sed rerum natura, quae potentissima est, disiunxerant optimates et Caesarem, ut quicumque huius inimicum se profitebatur tutum receptum haberet ad gratiam illorum. Alterum vero maiorem difficultatem ad consilium capiendum attulit. An facile fuisse putas fallacias excogitare tam occultas quae fallerent sagacitatem viri sagacissimi, tam efficaces quae labefactarent potentiam civis potentissimi, tam speciosas quae excusarent atrocitatem belli atrocissimi? Verum enimvero rem aggressus est strenue et prudenter et ut in re tanta satis prospere. Erat autem summa consiliorum haec, ut Caesar, cum circumacto imperii tempore exercitum dimisisset et privatus in urbem rediisset, iudiciis circumveniretur et perderetur.[2] Quae res ut contingeret, providendum ei erat primum ut quo tempore Caesar decederet in urbe praepotens esset ipse, tum ut iudiciorum ea forma esset, qua Caesar accusatus damnationem vix posset effugere. Iam illud quidem praeclare providisse Pompeius sibi visus est eo, quod duas Hispanias in alterum quinquennium sibi prorogandas per senatum curavit.[3] Et profecto, cum per legatos eas provincias administraret, ipse urbi praesidens urbanas suas opes et confirmaret et augeret, haud temere sibi persuasit se

reconciliatis sibi optimatibus maxime a Caesare alienatus est. Cic. ad Att. VIII, 3 *tertio consulatu, postquam esse defensor reipublicae coepit.*

[2] Suet. Caes. 30 *Alii timuisse* (Caesarem) *dicunt, ne eorum quae primo consulatu adversus auspicia legesque et intercessiones gessisset rationem reddere cogeretur, cum M. Cato identidem nec sine iureiurando denuntiaret delaturum se nomen eius simulac primum exercitum dimisisset, cumque vulgo fore praedicarent ut si privatus redisset Milonis exemplo circumpositis armatis causam apud iudices diceret.*

[3] Dio XL, 44 et 56 et Appianus b. civ. II, 24 in quinquennium imperium prorogatum esse tradunt, Plutarchus in vita Pompeii 55 falso de quadriennio cogitat.

copiis duarum provinciarum egregie munitum et ab optimatibus summo studio adiutum facile oppressurum esse Caesarem armis spoliatum, opibus deminutum, ideoque vel amicis et asseclis minus acceptum. Neque segnius versatus est in altero genere. Causam enim nactus satis amplam ex misere perturbatis rebus urbanis, statim postquam consulatum iniit, duabus legibus de vi et de ambitu latis cum poenam graviorem tum formam iudiciorum breviorem constituit.[4] Quas leges ad Caesaris perniciem pertinuisse manifestum est; quoniam enim nominatim sanctum erat ut omnes, qui inde a primo Pompeii consulatu magistratus gessissent, iis legibus tenerentur, ne Caesarem quidem solutum ac liberum fuisse facile apparet.[5]

At insidiae illae manifestae, ita manifestae ut ne nos quidem fallant tanto intervallo temporum remotos, quomodo fugere potuerunt Caesarem, hominem vigilantem et in turbis civilibus exercitatissimum? Non fugerunt; immo quanta tempestas excitaretur, quantum periculum suis fortunis impenderet statim prospexit et cautionem provisionemque quam potuit adhibuit. Verum eo loco tum res eius erant, ut acrioribus remediis saluti suae subvenire nullo modo posset. Vercingetorix imminebat, tota Gallia coorta erat ad libertatem armis recuperandam, maximum erat periculum ne Caesar ea quae multo sudore vigiliisque singillatim ac diu collegerat uno tempore universa perderet. Gallia autem amissa aut vacillante tantum, quo pacto audere potuit arma inferre patriae? nisi forte putas, quod difficillimum ei erat opus insigni splendore rerum gestarum, affluenti opibus iisque de causis et militum et plebis

[4] Ascon. argum. Milon. p. 37 ed. Or.

[5] App. b. civ. II, 23 Νόμῳ ᾤριζεν, ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τοπρῶτον ὑπατείας ἐς τὸ παρὸν εὐθύνειν τὸν ἐθέλοντα. Καὶ ἦν ὁ χρόνος ὀλίγῳ μείων ἐτῶν εἴκοσιν, ἐν ᾧ καὶ ὁ Καῖσαρ γεγένητο ὕπατος. Τῶν οὖν φίλων τοῦ Καίσαρος ὑπονοούντων, ἐς ὕβριν ἢ ἐς ἐπήρειαν αὐτὸν τοῦ Καίσαρος ὧδε πολὺ τοῦ χρόνου προλαβεῖν, καὶ παραινούντων τὸ παρὸν διορθοῦσθαι μᾶλλον ἢ τὸ παρελθὸν ἐνοχλεῖν ἐπ' ἀνδράσι τοσοῖσδε ἀξιολόγοις, ἐπονομαζόντων δὲ τοῖς ἄλλοις καὶ τὸν Καίσαρα· ὁ Πομπήϊος ἀμφὶ μὲν τοῦ Καίσαρος ἠγανάκτει, ὡς ἀμείνονος ὄντος ὑποψίας, ἐπεὶ καὶ τὴν ἑαυτοῦ δευτέραν ὑπατείαν τῷ χρόνῳ περιλαμβάνεσθαι· πολὺ δὲ ἀναλαβεῖν ἔλεγεν ἐς ἀκριβῆ διόρθωσιν ἐπιτετριμμένης ἐκ πολλοῦ τῆς πολιτείας.

gratia mire florenti, id peragi potuisse ab eodem his adminiculis prorsus orbato.[6] Abiectis igitur omnibus consiliis, quae adversariorum conata plane confringerent, quae nisi armis effici non poterant, satis habuit Caesar ea praesidia sibi comparasse, quibus si tempora poscerent maturis iam adversariorum machinationibus occurrere posset atque obsistere. Ea autem ne denegarentur metuendum non erat; Pompeius enim neque ipse ad vim inferendam satis paratus erat, et in timorem pervenerat ne Caesar sibi in consulatu collega daretur, id quod tribunos quosdam agitare audiverat. Quare consule non modo non repugnante sed adiuvante etiam[7] decem tribuni legem tulerunt ut Caesari, quando imperii tempus expleri coepisset, absenti alterum consulatum petere liceret.[8]

Qua ex lege quantum commodum Caesar ceperit nemo non videt; violata enim lex satis idoneam causam armorum praebuit, salva autem lege accusari omnino non potuit, neque ante consulatum initum, quod reipublicae causa aberat, neque postea, quod qui magistratibus fungebantur eos in ius vocari non licebat. Quo magis mirandum est, quid causae fuerit quare Pompeius

[6] Hirtius b. Gall. VIII, 49 *Caesar in Belgio cum hiemaret, unum illud propositum habebat, continere in amicitia civitates, nulli spem aut causam dare armorum. Nihil enim minus volebat, quam sub decessu suo necessitatem sibi aliquam imponi belli gerendi, ne, cum exercitum deducturus esset, bellum aliquod relinqueretur, quod omnis Gallia libenter sine praesenti periculo susciperet.*

[7] Cic. ad fam. VI, 6 *Rationem haberi absentis non tam pugnavi ut liceret, quam ut, quoniam ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur.*

[8] Suet. Caes. 26 *Cum senatus unum consulem nominatimque Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum tribunis plebis collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent ut absenti sibi quandoque imperii tempus expleri coepisset petitio secundi consulatus duretur, ne ea causa maturius et imperfecto adhuc bello decederet.* Dio 40, 51 Οὐ μέντοι καὶ μόνος ἄρξαι ἠθέλησε (ὁ Πομπήϊος)· τὴν γὰρ εὐκλειαν ἐν τῷ δεδόχθαι τοῦτ' ἔχων τὸν φθόνον τὸν ἐπ' αὐτῇ ἐξέκλινεν. Καὶ φοβηθεὶς μή ποτε κενῆς τῆς χώρας οὔσης ὁ Καῖσαρ ἔκ τε τῆς τῶν δυνάμεων καὶ ἐκ τῆς τοῦ πλήθους σπουδῆς συνάρχων αὐτῷ δοθῇ, ἐκείνῳ μὲν, ἵνα μὴ καὶ παντελῶς παρημελῆσθαι νομίσῃ κἀκ τούτου τινὰ ὀργὴν δικαίαν ποιήσηται, παρεσκεύασε διὰ τῶν δημάρχων ἐπιτραπῆναι καὶ ἀπόντι τὴν ἀρχὴν, ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ, αἰτῆσαι· αὐτὸς δὲ Κύιντον Σκιπίωνα πενθερόν τέ οἱ ὄντα καὶ δεκασμοῦ αἰτίαν ἔχοντα προσείλετο. Cf. ad Att. VIII, 3, Philip. II, 10.

ad tam iniquam conditionem tam facile descenderit. Quamvis licet haesitantem eum fingas, consilii inopem, ab armis abhorrentem, tamen quod commodo suo mirum quantum officeret, quod omnes suas rationes plane conturbaret, quod adversarium in perpetuum tutum faceret, id eum non modo patienter tulisse sed ipsum etiam suis opibus et auctoritate adiuvisse vix cuiquam persuadeas. Dices fortasse: noli isto modo agere cum Pompeio, noli eius facta ad prudentiae et constantiae rationem exquirere; in spem venerat homo, fore ut auctis suis opibus facile efficeret ut Caesar in consulatu petendo repulsam ferret. An tu negabis fiduciae sui plenum eum fuisse? Ego vero minime. At lacessere hostem et ante congressum receptui canere, abiicere inceptum diligenter praeparatum statim sub primam mentionem conviciumque adversariorum, mittere sui timoris signa in re quae opinione et fama cum maxime gubernetur, num id est eius qui suis viribus confidat et hostem prae se contemnat? Ad hoc Caesar tanta nominis claritate erat, tanta gratia apud plebem, tam peritus hominum studia ad suas utilitates alliciendi, ut si iis solis adiumentis uti voluisset honore deiici non posset, nedum si exercitum retinuisset sui studiosissimum et Gallicas illas opes cuilibet largitioni sufficientes. Quid igitur? eo temeritatis processisse eum censes, ut id expeteret quod fieri non posse nemo non intellexit? At legem tulerat Pompeius eo ipso consulatu de provinciis, qua sanctum erat ut qui in urbe magistratus gessissent non statim, ut usque ad id tempus habitum observatumque erat, sed quinquennio post provincias sortirentur. Quid? si Pompeius fretus illa lege unius anni molestiam devorare statuit et post consulatum in Caesarem invadere? Audio, est aliquid, pertinuit illa lex ad commodum Pompeianorum, quippe quae facultatem iis daret praeficiendi provinciis eos solos qui Caesaris causae adversarentur.[9] At ad eam rem, quam tunc Pompeius agebat, praesidii in illa lege inerat nihil. An vero Caesar primo consulatu, cum

[9] Caesar b. civ. I, 85 queritur *in se iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur.*

imbecillus etiamtum esset, provincias extorquere potuit quascumque voluit contra leges, contra morem maiorum, contra consensum bonorum omnium, tunc adeo auctus et opibus et auctoritate non potuit?[10] Sed quid opus est plura? Apparet aut alias insidias Pompeium Caesari comparavisse, aut in eo ipso quod concessit aliquid latuisse quod verti posset in eius perniciem. Sunt autem quattuor res, quae ad hanc rationem videantur pertinere.

Ac primum quidem Pompeius, cum legem de iure magistratuum ferret, eo capite quo a petitione honorum absentes removit ne Caesarem quidem excepit, quamquam id ipsum paulo ante lege decem tribunorum Caesari nominatim datum erat; ac lege iam in aes incisa et in aerarium condita, cum Caesaris amici factum indignissime ferrent, tum demum correxit quasi errorem.[11] Qua de re si quaerimus, per oblivionem an dedita opera Pompeius Caesaris nomen non induxerit, illud quidem, fortuito aut sine consilio tale quid accidere potuisse, quantumvis Suetonius contendat, persuadere nobis non possumus; in re enim tam nota tamque gravi oblivionis locus nullus erat, neque in Pompeio qui legem promulgavit, neque in Caesaris amicis qui legem per trinundinum propositum infestis oculis perlustrabant et examinabant. At consulto Caesaris mentionem omittere

[10] Quam nihil spei in hac re Pompeius collocaverit dilucide apparet ex his locis Ciceronis: ad Att. VII, 8 *Sic enim existimat* (Pompeius), *si ille vel dimisso exercitu consul factus sit,* σύγχυσιν τῆς πολιτείας *fore;* VII, 9 *Vide consulem illum iterum, quem vidisti consulatu priore. At tum imbecillus plus, inquit, . . . valuit quam tota respublica. Quid nunc putas?*

[11] Suet. Caes. 28 *Acciderat autem, ut is legem de iure magistratuum ferens eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Caesarem quidem exciperet per oblivionem, ac mox lege iam in aes incisa et in aerarium condita corrigeret errorem.* Dio 40, 56 Τὸν περὶ τῶν ἀρχαιρεσιῶν νόμον τὸν κελεύοντα τοὺς ἀρχήν τινα ἐπαγγέλλοντας ἐς τὴν ἐκκλησίαν πάντως ἀπαντᾶν, ὥστε μηδένα ἀπόντα αἱρεῖσθαι, παρημελημένον πως ἀνενεώσατο. . . . Οὐδ' ᾐσχύνθη τότε μὲν τοιαῦτα γράψας, ὕστερον δὲ . . . τῷ Καίσαρι καὶ ἀπόντι αἰτῆσαι τὴν ὑπατείαν, ὥσπερ ἐψήφιστο, δούς. Προσέγραψε μὲν γὰρ τῷ νόμῳ τὸ μόνοις αὐτὸ ἐξεῖναι ποιεῖν, οἷς ἂν ὀνομαστί τε καὶ ἄντικρυς ἐπιτραπῇ. Διέφερε δ' οὐδὲν τοῦτο τοῦ μηδ' ἀρχὴν κεκωλῦσθαι· πάντως γὰρ οἵ τι δυνάμενοι καὶ ἐκεῖνο ψηφισθῆναί σφισι διαπράξασθαι ἔμελλον. Cf. Plut. Pomp. 56.

quid attinet, si certum est concedere Caesarianis reclamantibus? Nimirum nihil, si eodem modo quo lata est obrogatur legi. Verum ita res processit nequaquam. Immo Pompeius quam tulerat legem populi suffragiis sanxit, quam Caesari remisit exceptionem pro sua auctoritate legi adiecit. Quid igitur? Qui Caesarem impugnare in animum induxerant nonne iure quodam suo defendere potuerunt, obrogasse Pompeium lege sua plebiscito in Caesaris gratiam facto et quod postremum populus iussisset id ius esse ratumque; rectum enim esse non videri neque quicquam ad legem adscribere iniussu populi, neque quod adscribi ad legem nefas esset id sequi quasi esset adscriptum. Nolite queri minuta illa esse, indigna rei magnitudine, remotissima ab hominis dignitate et prudentia. Factum est ita; M. enim Marcellus, consul anni 703, ad senatum retulit *ne absentis Caesaris ratio comitiis haberetur, quando plebiscito Pompeius postea obrogasset.*[12]

Deinde plebiscito illi, quo Caesari ut absens consulatum peteret concessum erat, adscriptum videtur fuisse *ne petitionis causa maturius et imperfecto adhuc bello decederet.*[13] Quae res quam opportuna fuerit, ex qua Pompeiani suam occasionem peterent, facile est ad intelligendum. Simulatque enim Gallia pacata est, et pacatam eam videri ipsius Caesaris permagni intererat, subito iis enata est satis ampla Caesaris criminandi materies. Quid enim? si in hunc modum argumentabantur: Ne tota belli Gallici ratio prope iam explicata perturbaretur aut impediretur, privilegium illud Caesari datum est non sine salutis publicae summo periculo; confectum est bellum, pacata Gallia, declarant id ipsius Caesaris litterae et summi ac prope inauditi honores quibus ornatus est; consentaneum igitur videtur esse, suum commodum, quo sine maximo reipublicae detrimento uti non possit, publico commodo illum remittere aut sua sponte aut bonorum consensu coactum. Quid? si in hunc modum argumentantes ut Caesar aut provincias aut petitionem omitteret postulabant, num quid invidiosius aut quod maiorem aequi-

[12] Suet. Caes. 28. [13] Suet. Caes. 26. Cf. Dio XL. 44.

tatis speciem haberet excogitari potuit aut in medium proferri? Neque neglexerunt Pompeiani; idem enim M. Marcellus, quem Caesari insidiatum esse paulo ante diximus, etiam hoc ad senatum retulit, ut Caesari succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet victor exercitus.[14]

Tertium eorum quibus Pompeiani Caesari fraudem videntur fecisse Dio nobis indicat. Narrat enim in libri 40 capite 51 Caesaris privilegio exceptionem additam esse, ut eo demum anno peteret quo consulem fieri ei liceret per leges. Qua narratione cum aliam legem significare non possit, nisi veterem illam, quam Sulla repetiit, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet,[15] si verum est quod narrat, petitio Caesaris, quippe qui primum consulatum anno 695 gessisset, reiecta est in annum 705, i. e. in tempus, quo imperium eius iam erat circumactum. Quae res quam opportuna Pompeianorum spei accidisset, non est quod pluribus exponam. At dubitari potest an Dio aliqua inani specie deceptus falso rem memoriae prodiderit. Id certe, exceptionem plane ac dilucide legi adscriptam fuisse, Dioni concedere nullo modo possumus. An tribunis in lege ferenda aliud erat propositum nisi ut Caesarem tutum facerent ab insidiis inimicorum? Immo id ipsum. At absens, modo ne reipublicae causa abesset, recte poterat accusari. Itaque si illam exceptionem legi addi passi essent, aut nihil omnino egissent, aut eadem lege Caesaris imperium prorogare debuissent; quorum hoc non fecisse eos constat, illud non erat neque ipsorum prudentiae, neque Caesaris qui eos ad legem ferendam subornaverat. Huc accedit quod Caesar iam anno 704 con-

[14] Suet. Caes. 28.

[15] Liv. VII, 42 *Aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret.* X, 13 *Fabius legem recitari iussit, qua intra decem annos eundem consulem refici non liceret.* App. bell. civ. I, 100. Ὁ Σύλλας τὴν ἀρχὴν τὴν αὐτὴν αὖθις ἄρχειν ἐκώλυσε, πρὶν ἔτη δέκα διαγενέσθαι. Hac lege cautum esse, ut decem integris annis inter utrumque consulatum interiectis, non ut decimo anno alterum consulatum gerere liceret, cum aliquantum cognoscitur ex ipsius legis verbis tum manifesto docet Caesar bell. civ. III, 1: *is erat annus* (i. e. annus 706), *quo per leges ei consulem fieri liceret.*

sulatum petiturus erat et ab incepto destitit, non quod petere omnino eum illo anno lex vetaret, sed quia absentem eum et retinentem exercitum consulem fieri adversarii noluerunt. Patet igitur Dionis sententiam reiiciendam esse. Tamen fraudem eiusmodi Pompeianos Caesari intendisse verisimillimum est; nam ni ita esset, neque Dio in errorem inductus esset neque Caesar in comm. de bello civ. III, 1, ubi se consulem anno 705 factum esse narrat, addidisset: *is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret.* Quae cum ita sint, in hunc modum rem gestam esse coniicio. Caesaris amici, sive quod ipsius Pompeii tertius consulatus antiquatam illam legem esse atque inutilem satis ostenderet, sive quod ut quidque postremum populus iussisset, ita ratum esset habendum, Caesaris igitur amici nominatim illi legi obrogari suae causae necessarium non duxerunt. Pompeiani vero cur mentionem inferrent eius negligentiae, eo quidem tempore quo corrigi poterat, causa nulla erat; postea in certaminis ardore, cum res ad triarios rediisset, ne hoc quidem praesidium quamvis infirmum videntur neglexisse.

Quartus restat calumniandi locus isque cui maximam vim Pompeiani tribuerint. Qui qualis sit optime cognoscitur ex his verbis, quae Cicero extremo mense Decembri anni 704 ad Atticum VII, 7 scripsit: *Quod scribis mirificam expectationem esse mei neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare quid sensurus sim; ego quos tu bonos esse dicas non intelligo, ipse nullos novi, sed ita, si ordines bonorum quaerimus. Nam singulares sunt boni viri, verum in dissensionibus ordines bonorum et genera quaerenda sunt. Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt? numquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi coeptum esset; quam sententiam senatus sequi noluit; ex quo factum est ut Caesari non succederetur. An publicanos? qui numquam firmi, sed nunc Caesari sunt amicissimi. An feneratores? An agricolas? quibus optatissimum est otium, nisi eos timere putas ne sub regno sint, qui id numquam, dummodo otiosi essent, recusarunt. Quid ergo? exercitum retinentis, cum legis diem transierit, rationem haberi*

placet? Mihi vero ne absentis quidem, sed cum id datum est, illud una datum est. Annorum enim decem imperium et ita latum placet? Placet igitur etiam me expulsum et agrum Campanum perisse et adoptatum patricium a plebeio, Gaditanum a Mytilenaeo; et Labieni divitiae et Mamurrae placent et Balbi horti et Tusculanum. Sed horum omnium fons unus est. Imbecillo resistendum fuit, et id erat facile. Nunc legiones XI, equitatus tantus quantum volet, Transpadani, plebes urbana, tot tribuni plebis, tam perdita iuventus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. Cum hoc aut depugnandum est aut habenda e lege ratio. Quo loco cum Cicero ad sententiam suam melius explanandam altercationem quandam factam esse fingat sibi cum Attico, optime nos nostrae causae consulturos esse existimavimus, si quas rationes quisque attulisset nominatim ei assignaremus. Procedit autem haec altercatio sic. Atticus: Maximam spem de certamine instante omnes boni in te collocant. Cicero: At quos tu bonos esse dicis, ego nullos novi. Atticus: Ergo quod bonis placet, Caesaris exercitum retinentis, cum legis diem transierit, rationem non haberi, tibi non placet? Cicero: Placet illud quidem vehementer, quin etiam ne absentis quidem rationem haberi. Tamen concedendum esse Caesari existimo; nam cum id, quod ne a vobis quidem in controversiam vocatur, datum est, ut absentis, illud quoque datum est, ut retinentis exercitum ratio haberetur. Atticus: Ergo placet tibi imperium decem annorum idque ita latum? Cicero: Non placet, non magis placet quam ceterae leges, quas Caesar in consulatu per vim et contra auspicia populo Romano imposuit. Sed resistendum fuit imbecillo, nunc leges eius tantis opibus aucti negligi non possunt, quin bellum atrocissimum exoriatur. Hic est, nisi fallor, complexus sententiarum; qui si bene est perceptus, illud quod quaerimus promptum est atque apertum. Hanc enim calumniam Pompeiani adhibebant, licere Caesari petere consulatum absenti, retinenti exercitum non item. Atque his expositis de insidiis, quas in consulatu suo Pompeius Caesari collocavisset, quae et quales fuissent, satis disputatum esse arbitramur.

Sed inest in illo loco Ciceronis, quem modo attulimus, aliud, quod multum faciat ad rem nostram melius cognoscendam, quod ut planiùs exponamus, paulo altius repetere nos oportet.

IV. QUI ANNUS CAESARI AD CONSULATUS PETITIONEM PRAESCRIPTUS FUERIT LEGE DECEM TRIBUNORUM.

Tempus aliquod certum ipsa lege Caesari praefinitum esse, quo beneficio populi uteretur, id quidem certum est; docet enim cum ipsa rei natura tum Suetonius, qui in vita Caesaris 26 petitionem ei datam esse tradit, quando imperii tempus expleri coepisset, et Caesar, qui in commentariis de bello civili I, 9 populum iussisse commemorat sui rationem proximis comitiis haberi. Quaerendum igitur est quod tempus illud fuerit. Qua de re quae supra p. 17 coniecimus magis quam demonstravimus, nunc repetere in animo non est, non quod poeniteat eorum, sed quia coniecturas nos capere neque licet neque necesse est in re, in qua tamquam in fundamento quodam tota nostra disputatio nitatur et cuius multa et manifesta vestigia in veterum scriptis extent. Initium autem capimus ex his Coelii verbis, quae legimus in ep. ad fam. VIII, 8, 9: *Itaque iam, ut video, alteram utram ad condicionem descendere vult Caesar, ut aut maneat neque hoc anno* (i. e. 704) *sua ratio habeatur aut, si designari poterit, decedat.* Haec verba, quantumvis cetera perturbare videantur, hoc certe perspicue ostendunt, voluisse Caesarem consulatum petere anno 704. Est hoc aliquid, satis vero non est; voluisse enim Caesar potuit quod velle non licuit. Circumspicientibus igitur nobis aliud adminiculum, quo hanc relictam partem expleamus, occurrunt opportune haec eiusdem Coelii verba, quae inveniuntur in ep. ad fam. VIII, 13: *Voles, Cicero, Curionem nostrum lautum intercessionis de provinciis exitum habuisse. Nam cum de interces-*

sione referretur, quae relatio fiebat ex senatus consulto, primaque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum tribunis pl. censebat, frequens senatus in alia omnia iit.... Transierant illuc, ut ratio esset eius habenda, qui neque exercitum neque provincias traderet. Scripta est haec epistola initio mensis Iunii anni 704. Intercesserat Curio ne Caesari succederetur, negaverat senatus agendum esse cum tribuno de intercessione; rata igitur erat intercessio et, cum intercessio nihil nisi quod antea ius fuerat defendisset, ratum id ipsum. Iam quod ratum senatus habuit in hunc modum Coelius describit, rationem esse Caesaris habendam, qui neque exercitum neque provincias traderet. Apparet igitur non voluisse modo, sed iure quodam suo voluisse Caesarem consulatum petere anno 704.

Redeamus nunc ad verba illa Ciceronis (ad Att. VII, 7), quae supra ad aliam rem explicandam adhibuimus, quae huic quoque rei lucis aliquid afferre diximus. Quaeritur autem quid sit quod, cum plebiscito Caesari datum sit ut absens, illud una datum esse dicatur ut retinens exercitum consulatum peteret. Qua de re priusquam quae nostra sententia sit indicemus, audiamus Manutium, doctissimum Ciceronis epistolarum interpretem. Datum est, inquit, ut Caesar retinens exercitum consulatum peteret, vel quod id ipsum perspicuis verbis legi additum erat, vel quod, cum Caesar consulatum absens petere propterea tantum vellet, quod exercitum dimittere noluit, si illud datum erat, datum erat etiam hoc, cuius causa illud postulaverat. Haec quidem Manutius. Quid vero? si ita rem suam Caesar defenderet: Absens petere consulatum volui, ut rempublicam everterem; datum est illud, datum igitur etiam hoc? Placeret eiusmodi defensio? Aut placet autem haec aut ne ea quidem quam Manutius putat Caesarem instituisse. Neque altera eius explicatio magis satisfacit; nam si perspicuis verbis lex sanxisset ut Caesari vel retinenti exercitum consulatum petere liceret, in controversiam vocari haec res omnino non potuisset. Manutium igitur vis Caesariani iuris effugit neque ceteri interpretes, quod ego quidem sciam, prudentius in hac re explicanda versati sunt. Quod eo magis mirandum est, quo apertius

Cicero ipso nostro loco rem significavit. An non alterum una cum altero ideo datum esse contendit, quod imperium Caesaris fuisset decem annorum? Id autem qua ratione intelligi potest? Nempe hac una, ut plebiscito cautum esse statuamus non solum ut absens Caesar consulatum peteret, sed etiam ut peteret antequam imperium esset finitum. Una enim hac ratione efficitur ut *absens* idem significet quod *retinens exercitum*. Quod si quae antea de tempore Caesariani imperii docuimus pro concessis et probatis sumere licet, patet id quod quaerimus, praescriptum fuisse Caesari ut populi beneficio uteretur anno 704.

Verum libet singulas res, tantas praesertim, propriis suis argumentis tractare, ut inter se praesidio sint neve aliis labefactatis eadem ruina aliae opprimantur. Vocamus igitur ad partes haec quoque Ciceronis verba: *Quid ergo? exercitum retinentis, cum legis diem transierit, rationem haberi placet?* Quo loco res in eo vertitur utrum verba *cum legis diem transierit* ad legem Pompeii et Crassi referenda sint, qua Caesari imperium in alterum quinquennium prorogatum est, an ad legem decem tribunorum, qua petitio absenti data est. Illud si placuerit, sententia Attici haec est: si Caesar comitiorum tempore exercitum retinebit, num rationem eius haberi placebit, quamquam eo tempore imperium eius iam exactum erit? Ita ille locus novi nihil affert, neque quod adiuvet nostram rationem neque quod ei officiat. At parum probabilis est haec explicandi ratio. Quid enim? Prohibere Caesarem petitione quae lege apertis verbis ei data erat, ea de causa quod ultra legitimum tempus exercitum retinuisset, num hoc est iure agere aut aequitatem conservare? Non est, nisi forte iustum esse putas poena indemnatum afficere, et ea poena quae neque lege neque iudicio, sed adversariorum arbitrio et libidine nominatim in eum sit constituta. An Pompeiani quidquid expediret id licere putabant neque commodi sui via inventa magno opere curabant exitum rationemve defensionis? Ne id quidem; immo patrocinium legum iactabant et sollicite cavebant ne quid de iure aut de legibus deminuisse viderentur.

Omissa igitur illa interpretatione, Atticum ex Cicerone hoc fere quaesivisse existimamus: Num placet tibi, si Caesar post Kal. Mart. exercitum retineat, rationem eius absentis haberi, quamquam ipse diem petitioni lege praefinitam omisit? Quod si statuimus, facilis est et ad verba accommodata nostra interpretatio neque quo iure Pompeiani hac in re usi sint amplius dubitari potest. Unum tantum est quod dubitationem moveat. Nam Cicero, qui Pompeii causam defendit, non censet rationem Caesaris habendam esse, sed habendam esse ex lege. Ex lege autem, quae petitionem dat in annum 704, qui potest ratio haberi anno 705? At duplex erat quod lex constituerat, unum ut absens Caesar consulatum petere posset, alterum ut peteret anno 704. Iam hoc quidem neglexerat Caesar ipse, verum non sua sponte, sed coactus dolo et machinis adversariorum.[1] Postulavit igitur non sine magna specie aequitatis ut populi beneficium, quo legitimo anno uti non potuisset, in annum proximum transferretur, i. e. ut sua ratio haberetur e lege, quamquam legis dies praeterisset. Cui postulato cum Cicero, non quod iustum id haberet, sed quia bellum metuebat, obtemperandum esse arbitraretur, recte dixit e lege rationem esse habendam, nam ne ulla omnino ratio Caesaris haberetur, etsi multi optabant, aperte tamen suadere ausus est nemo.[2] Itaque quid nostrae interpretationi obstet ego quidem non video; recepta autem illa profligata est quaestio et ad finem perducta.

Iam alium disputationis campum ingrederemur, nisi in mora essent duo loci Caesaris, qui etsi diligenter examinati bene conveniunt in nostram sententiam, facile tamen cautione non adhibita, cum obscuritate quadam laborent, in aliam ac dicti sunt partem accipi possunt. Quos silentio praeterire eo minus voluimus, quo magis nostra intererat, ut quod fundamentum huius quaestionis esset praeclare iactum videretur. Caesar igitur in comment. de bello civ. I, 9 in mandatis, quae

[1] Id quomodo factum sit infra pluribus verbis explicabimus.

[2] Cic. ad Att. VII, 4: *Quid multa? Nihil me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici alterum consulatum, fortuna summam potentiam dederat, non arbitror fore tam amentem, ut haec in discrimen adducat.*

initio anni 705 L. Roscio praetori ad senatum deferenda tradidit, haec de iniuriis Pompeii questus est: *Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset. Tamen hanc iacturam honoris sui reipublicae causa aequo animo tulisse. Cum litteras ad senatum miserit ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetravisse. Tota Italia delectus haberi, retineri legiones duas, quae ab se simulatione Parthici belli sint abductae, civitatem esse in armis. Quonam haec omnia nisi ad suam perniciem pertinere?* Duae res sunt in his verbis quae offendant, comitia proxima et ereptum imperium semenstre. Atque illa quae fuerint si quaerimus, sive ad annum 704, sive ad annum 705 retuleris, grammaticam certe rationem non everteris; verba enim sunt scripta initio anni 705 et proximum est non modo quod antecedit proxime, sed etiam quod sequitur. Verum si qua ratione querellae se excipiant respexeris, nullus scrupulus residebit. Fac enim ad annum 705 pertinere comitia illa proxima. Ita senatus consultum, quo beneficium populi sibi ereptum Caesar queritur, idem est quod a. d. VII. Id. Ian. huius anni perscriptum est; nam paulo ante Kal. Ian. et Caesar postulavit et Cicero suasit ut ratio absentis e lege haberetur.[3] Illud autem, quo comperto Rubiconem transiit, quo pacto affirmare potest aequo animo se tulisse? Deinde, si hoc placuerit, litterae, quibus ut omnes ab exercitibus discederent postulavit, eaedem sunt, quae in senatu recitatae sunt Kal. Ian. anni 705, ergo antequam illud senatus consultum factum erat. At ita eas Caesar commemorat, ut appareat missas eas esse, postquam in urbem Caesarem retrahere inimici conati sint. Videsne quibus difficultatibus oppressus tenearis, si comitia illa proxima intellexeris comitia anni 705? Age iam, de anno 704 cogitare aude, liber eris et solutus.

At semenstre imperium Caesar sibi ereptum esse queritur.

[3] Vide Cic. ad Att. VII, 7, quem locum supra attulimus, praeterea VII, 8 et 9.

Esto: erepti sunt, si Kal. Mart. 705 imperium exiit, octo menses, et ereptos queritur sex. Quid tum? Numerum subtiliter exequi non libuit. At Caesaris non erat de accepta iniuria oratione sua quicquam deminuere. Augere igitur eam et supra veritatem exaggerare, id fuisse Caesaris censes? Nam id Caesar fecisset, si octo menses sibi ereptos esse dixisset, nisi forte ereptum tibi est quod ultro eras abiecturus. Quid enim? si ex sententia Caesari res processisset, si consulatum petere absenti licuisset, si consul factus esset, decessisset ille Kal. Ian. an non? Decessisset sine ulla dubitatione. Etiam cum iactura imperii bimenstris? Etiam. Quid ergo? hanc quidem iacturam, quam facere erat paratissimus, quam si consulatum anno 705 gerere voluit non potuit non facere, eam igitur iacturam illatam sibi esse fraude ac malitia adversariorum quo pacto Caesar potuit conqueri? Ergo bene coeunt quae inter se pugnare videntur, nec in iis quidem quicquam inest cur a nostra sententia decedamus.

Accedimus iam ad alterum locum explicandum, qui extat in eisdem commentariis de bello civili, l. I, c. 32. Verba sunt haec: *Coacto senatu iniurias inimicorum commemorat. Docet se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed expectato legitimo tempore consulatus eo fuisse contentum quod omnibus civibus pateret. Latum ab decem tribunis plebis contradicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante et pristina consuetudine dicendi mora dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio. Qui si improbasset, cur ferri passus esset? si probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? Patientiam proponit suam, cum de exercitibus dimittendis ultro postulavisset, in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. Acerbitatem inimicorum docet, qui quod ab altero postularent in se recusarent atque omnia permisceri mallent quam imperium exercitusque dimittere. Iniuriam in eripiendis legionibus praedicat, crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis, condiciones a se latas, expetita colloquia et denegata commemorat. Pro quibus rebus hortatur ac postulat ut rempublicam suscipiant atque una secum admi-*

nistrent. Queritur hoc loco Caesar primum populi beneficio uti se adversarios prohibuisse, deinde quod de dimittendis exercitibus proposuisset id esse eorum iniquitate repudiatum, tum duas legiones simulatione belli Parthici sibi esse ereptas, denique tribunos plebis esse circumscriptos et ex urbe fugere coactos, postremo conditiones a se latas et expetita colloquia superbe Pompeium denegasse. Quarum iniuriarum cum de tribus postremis manifestum sit, ut quaeque primum illata sit, ita primum eam a Caesare commemorari, consentaneum videtur esse etiam in duabus reliquis enumerandis temporis ordinem esse servatum. Quae coniectura cum per se probabilis sit, tum de altera certe iniuriarum certissimo argumento confirmatur. Nam si Caesar id, quod initio anni 705 de exercitibus dimittendis postulavit, secundo loco significasset, eiusdem rei bis mentionem fecisset, neque enim aliud spectarunt conditiones quas denegatas esse quinto loco queritur.

Superest igitur ut ostendamus interpretationem nostram et ad verba Caesaris accommodatam esse et in res, quae anno 704 gestae sunt, bene convenire. Ac de rebus quidem facilis est quaestio et quae longam orationem non desideret. Id enim in quo acquiescere possumus inter omnes constat, cautum esse illo anno senatus consulto ne Caesar, antequam decessisset, consulatum peteret, et intercessum esse a Curione, nisi et Pompeius et ceteri qui cum imperio essent exercitus dimitterent.

Verba deinde si examinamus, est quod haereas in hoc loco: *in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset.* Sed vide ne nodum quaeras in scirpo. Sententia vel conditionalis est vel concessiva. Jam concessivam eam esse si concedis, omnia bene procedunt; nam quod est *quamquam iacturam erat facturus, tamen postulavit* inductum in obliquam orationem alio modo dici non potest nisi eo quem Caesar usurpavit. Conditionalis autem si sententia est, neque eam esse nego, verbum *facturus esset* paulo insolentius id quidem dictum est pro eo quod est *facturus fuisset,* non tamen sine exemplo aut contra legitimam sermonis Latini consuetudinem. Nam in oratione recta pro eo quod est *si Pompeius conditiones accepisset, iactu-*

ram fecissem dici posse et *facturus eram* et *facerem*, res est adeo nota ut commonere viros doctos satis sit, nihil attineat docere. Singula igitur cuiusque rei exempla sufficient. Atque usurparunt hoc dicendi genus Cicero in Verr. III, 52 haec dicens: *aratores relicturi agros omnes erant, nisi ad eos Metellus Roma litteras misisset*, et Livius IX, 19 in his verbis: *Persas Indos aliasque si Alexander adiunxisset gentes, impedimentum maius quam auxilium traheret.* Iam quod est *facturus eram* aut *facerem* in oratione recta, nihil habet dubitationis quin fiat in obliqua *facturus essem.* Ceterum ne ea quidem loci explicatio, quae sola reliqua est, sine hoc remedio satis expediri potest. Referas enim Caesaris postulationem ad litteras, quas Kal. Ian. 705 ad senatum misit, extendas imperium usque ad Kal. Ian. 706, tamen Caesari dicendum erat *iacturam fecissem*, non *facerem;* nam quod tum postulaverat a Pompeio erat denegatum neque eadem conditio postea est proposita; eo igitur tempore, quo verba ad senatum fecit, Caesar iacturam facere in ea re iam non potuit.

Iam demonstrasse nobis videmur et verbis et rebus gestis aptam esse nostram interpretationem. Recte autem si ea se habet, haec fere Caesar in senatu dixit: se nullum extraordinarium honorem appetisse, nam omisso populi beneficio et expectato legitimo consulatus tempore se petere neque se iam vello absentis sui rationem haberi, dummodo discederent in Italia omnes ab armis, metus e civitate tolleretur, libera comitia atque omnis respublica senatui populoque Romano permitterentur.[4] In se igitur causam armorum non consistere, quippe qui ad omnia descendere paratus fuisset atque omnia pati reipublicae causa. Contra ea Pompeianos multis et gravissimis contumeliis se provocasse et adeo nihil fecisse quod pertineret ad

[4] Cic. ad fam. XVI, 12 *Quo quidem in casu simus vides. Feruntur omnino condiciones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam, delectus qui sunt habiti et praesidia nostra dimittantur; se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum; ad consulatus petitionem se venturum neque se iam velle absente se rationem haberi suam, se praesentem trinum nundinum petiturum.*

iniurias levandas, ut lenissima sua postulata repudiarent ac ne colloquio quidem ab ipso expetito tempus dare sustinerent, quae res quam magnam pacis desperationem adferret neminem non videre.

Si ita Caesar egit, num orationem invenire potuit qua acrius in adversarios inveheretur? Immo aptissima erat ad illos premendos et ad ipsum omni culpa liberandum, ac ne id quidem magno opere negare possumus, cum magna quadam specie veritatis crimina illa in Pompeianos intendi, dummodo eandem veniam Caesari demus, quam ceteris oratoribus concedimus, ut omnia ad commodum suae causae torqueat, contraria quae praeteriri possunt praetereundo, sua diligenter et enodate narrando. Sed utcumque haec se habent, id certe manifestum est, Caesaris verba non obstare quominus perseveremus in nostra sententia, praestituta fuisse lege petitioni Caesaris comitia anni 704.

His expositis cum de die constet Caesaris imperio praefinita, cum annus investigatus sit petitioni eius legitimus, cum Pompeii insidiae apertae sint quas tertio consulatu Caesari instruxit, his igitur expositis satis mihi dixisse videor de iis rebus quae ad aperiendam causam pertineant atque ad controversiam quasi constituendam. Sequitur ut ostendamus quibus artibus usi, qua via ac ratione aemuli totam rem adeo implicaverint, ut odia, quae tacitis discordiis diu erant contenta, in funestissimum bellum erumperent. Quod propositum cum assequi non possimus, nisi quemadmodum res gestae temporibus divisae sunt sic eas narratione nostra distinguerimus, omnia quae de provinciis acta sunt inde ab anno 703, quo initium certaminis a M. Marcello consule factum est, usque ad annum 705, quo ad arma itum est, temporis ac rerum ordinem quam poterimus accuratissime servantes enarrando persequemur et comprehendemus.

V. DE M. CLAUDIO MARCELLO CONSULE.

M. Claudius Marcellus, optimatium fautor studiosissimus, acerrimus adversarius Caesaris, statim ex primis initiis consulatus omnem operam, industriam, cogitationem in unam hanc rem contulit, ut Caesarem cogeret quam primum legiones dimittere et de provincia decedere. Sed multa erant quae impetus eius consiliaque tardarent. Res erat suo ipsa molimine gravis; optimatium maxima pars iners, voluptatibus dedita, de publica salute secura, ipse Pompeius, ut erat cunctator et a fortibus consiliis abhorrens, cum omnium simul rerum, quarum immodica cupido eum tenuit, potentiae, honorum, gloriae discrimen propositum esset, conterritus trepidabat, in contrarias sententias distrahebatur, id quod sibi placeret reperire non poterat. Huc accessit quod Ser. Sulpicius, alter consul, sive pacis studio captus sive gratificans Caesari, utrumque enim traditur, collegae incepto non obscure adversabatur. Ostendit quam iniuriam Caesar accepturus sit, si tantis rebus gestis nulla sua culpa ante tempus decedere cogatur. Monet senatum accuratissime, collectis omnibus bellis civilibus, ut et illa timeat quae meminerit, et sciat, cum superiores nullo tali exemplo antea in republica cognito tam crudeles fuerint, quicumque postea rempublicam armis oppresserint multo intolerabiliores futuros, nam quod exemplo fiat, id etiam iure fieri eos putare, sed aliquid atque adeo multa addere de suo. Hortatur denique ne se sciens prudensque eo demittat, unde exitum videat nullum esse; praecipitata raptim consilia neque revocari posse neque in integrum restitui. Ne multa; nihil ille praetermisit aut monitorum aut querellarum neque umquam pacis et concordiae auctor esse destitit.[1]

Ita accidit ut, quamquam iam ante Kal. Maias senatus censuerat ut de successione Galliarum quamprimum referretur,[2]

[1] De Sulpicio v. Dion. 40, 59 et Cic. ad fam. IV, 3.

[2] Ante Kal. Maias de Caesaris provinciis actum esse colligitur ex Cic. ad fam. IV, 3 et ad Att. V, 2. Auctoritatem de hac re perscriptam esse apparet ex eadem epistola ad Atticum, neque repugnat

res ab initio anni agitata et saepius temptata expediri non posset ante finem mensis Septembris, ac ne tum quidem, etsi ad summam aliquid profectum est, ex sententia auctoris. Atque acturus erat Marcellus de provinciis Kal. Iun., distulit autem relationem, ut videtur quod Pompeius aberat.[3] Deinde cum a. d. XI Kal. Sext. senatus habitus esset ad Apollinis et mentio facta esset de successione Caesaris, quod Pompeius Ariminum ad exercitum iturus erat, placitum est ut quam primum ad urbem reverteretur, ut coram eo de successione provinciarum ageretur.[4] Tum Id. Sext., quo die actum iri credebatur, quod interpellavit iudicium C. Marcelli consulis designati, ne frequentiam quidem efficere potuerunt. Itaque res reiecta est in Kal. Sept., sed usque ad a. d. IV Non. Sept. ne profligatum quidem quicquam erat,[5] et adeo extracta est res variis calumniis et contentione omnium, ut per totum fere mensem ea consultatio teneret. Pridie Kal. Octobres demum eo perventum est ut de una re senatus consultum fieret, de ceteris auctoritates perscriberentur.

Erat autem Marcelli relatio duplex, una ut Caesari successor mitteretur ante tempus, quoniam bello confecto pax

quod Coelius ad fam. VIII, 1 scribit, qui eum tantum rumorem tamquam falsum reiicit, iussos esse Transpadanos a Caesare quatuorviros creare. Ceterum quod Drumannus in vita Caesaris p. 375 censet, falsum rumorem per oppida Italiae fuisse missum esse senatus auctoritate Caesari successorem eamque esse auctoritatem quam Cicero perscriptam esse memoret, qua veritate id contendat ipse videat.

[3] Cic. ad fam. VIII, 1 et 4. Pompeius quo die in urbem reverterit ignoramus; id tantum ex ep. ad Att. V, 7 cognoscimus, usque ad a. d. XIII Kal. Iun. versatum eum esse in villa, quae prope Tarentum sita erat. Nam comitia magistratuum propter absentiam Pompeii saepius dilata esse, id quod si verum esset rem conficeret, sine idonea ratione censet Drumannus l. l. p. 377.

[4] Cic. ad fam. VIII, 4.

[5] Cic. ad fam. VIII, 9, § 2. *De provinciis quod tibi scripseram Id. Sext. actum iri, interpellat iudicium Marcelli consulis designati. In Kal. res reiecta est; ne frequentiam quidem efficere potuerant. Has litteras a. d. IV Non. Sept. dedi, cum ad eam diem ne profligatum quidem quicquam erat.* Apparet frequentiam Pompeianos efficere non potuisse Id. Sext., non Kal. Sept., ut Drumannus censet l. l. p. 380.

esset ac dimitti deberet victor exercitus, altera ne absentis Caesaris ratio haberetur, quando plebiscito, quo proximo anno Caesari id concessum esset, Pompeius postea obrogasset[6]. Qua in relatione quid Marcellus secutus sit si quaerimus, cum ceterae appareant, duae res dubitationem iniiciunt. Dubitari enim recte potest et cur Marcellus quod unum videtur esse diviserit et quo die voluerit Caesaris imperium finiri. Atque illius quidem rei facilis est et prompta responsio. Nam si hoc Marcellus comprobare potuit, succedi Caesari oportere quod bellum esset confectum, decedendum erat Caesari statim; si vero hac abiecta altera ratio valuit, remanere Caesar potuit usque ad comitia, ac ne decernere quidem de eius successione quicquam attinuit antequam petiturum eum esse constaret. Itaque illi rationi hanc adiungere non potuit quin ipse suae causae officeret, omittere autem omnino noluit, quia cui ipse insistebat ratio infirma erat et ea quam Caesar si bellum movisset statim posset redarguere. Quae cum ita sint, in hunc modum rem gestam esse opinor. Marcellus primo postulavit ut, quod bellum confectum esset, Caesari statim successor mitteretur, postea cum id persuadere non potuisset, necessario ad alteram relationem confugit. Quae res si recte est disputata, etiam alteri loco in controversiam vocato lucis aliquid affert. Atque peropportune; tanta est rei obscuritas, tanta scriptorum dissensio. Nam cum inter omnes scriptores conveniat ante tempus Caesari ex sententia Marcelli decedendum fuisse, Cassius Dio et Appianus addunt Marcellum id egisse ut statim Caesari succederetur,[7] Cicero vero ad Att. VIII, 3 apertis verbis scribit Kalendarum Martiarum diem finivisse eum provinciis

[6] Suet. Caes. 28.

[7] Ita eos censuisse bene colligitur ex eo quod Dio 40, 59 et Appianus b. civ. II, 26 narrant, Marcellum ut Caesar ante tempus decederet postulavisse, quamquam tempus imperii paulo post ac statim proximo anno exiturum fuerit. Nam imperium Caesaris ex eorum sententia circumactum fuisse Kal. Mart. 704, neque in Dione magno opere negari potest et Appianus l. l. II, 27 aperte id significat his verbis: Κλαύδιος εἰσηγεῖτο πέμπειν Καίσαρι διαδόχους ἐπὶ τὰ ἔθνη· καὶ γὰρ ἔληγεν ὁ χρόνος, constat enim C. Claudium Marcellum retulisse eo ipso die.

Galliis. In tantas igitur angustias res deducta est, ut exitus nullus esse videatur nisi alterutra auctoritate reiecta. Iam Ciceroni fidem non habere qui possumus, cum de omnibus rebus, quae id temporis Romae agebantur, accuratissime doctus esset nec cur hac quidem in re a veritate recesserit ratio ulla excogitari possit? Dionis vero et Appiani sententiam si abiiciendam censeas, vereor ne idoneis argumentis comprobare id non possis. Quid enim? quos rerum Romanarum auctores peritissimos et religiosissimos merito laudamus, eosne putemus in hac re tam recenti, tam nota, tam gravi parum caute historiam attigisse? An vero censes, quod Coelius ad fam. VIII, 8 scribat, Pompeium Marcello repugnantem censuisse *ut eum decedere post Kal. Martias placeret*, satis id esse obscure et ambigue dictum, quod etiam diligentes scriptores in errorem duceret? At alii libri extabant ex quibus illas res cognoscerent, et ipsae Coelii epistolae quomodo illa verba intelligenda sint satis perspicue docent. Nam ex his verbis, quae Coelius paullo infra in eadem epistola scripsit: *Illa praeterea Cn. Pompeii sunt animadversa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Kal. Mart. non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post Kal. Mart. se non dubitaturum*, pariter atque ex his, quae leguntur in ep. 9: *Pompeius hanc sententiam dixit, nullum hoc tempore senatus consultum faciendum*, facile colligitur illorum verborum sententiam hanc esse: Pompeius censuit ut post Kal. Mart. decerneretur ut Caesar decederet. Iam ad ultimum praesidium confugiens si opponas dissentire eos aperte ab eo qui maiore fide dignus sit, vide ne cupidius quam verius rem agas. Non uno enim impetu res tantae peraguntur; progrediuntur sensim pedetentimque nec ad exitum perveniunt nisi multis modis mutatae. Unde saepe accidit ut scriptores quamvis diligentes, cum omnes rei vicissitudines et quasi progressiones enarrando persequi propter instituti sui rationem nolint, partem rei, quae cuique gravissima videatur esse, eligant, in ea haereant, ceteras nihil curent. Quae res mihi certe verecundiam imposuit abrogandi fidem iis scriptoribus, quos praestantes esse omnes consentimus. Quodsi salva eorum fides esse

non potest, nisi Marcellus duas res ad senatum retulit, primo ut Caesari statim successor mitteretur, postea mutata sententia ut Kalendarum Martiarum dies ei finiretur, illud inventum nostrum et huic quaestioni adiumenti aliquid attulit et ipsum argumento idoneo non iam caret.

Sed satis dictum est de consilio Marcelli; sequitur ut dicamus de eventu. Qua de re cum recte quaeri non possit, nisi qui tunc status rerum publicarum fuerit perspectum habemus, paullo altius nos repetere necesse est. Distracta autem tenebatur eo tempore respublica in tres potissimum partes, si eas spectamus quae certum aliquod ac proprium consilium secutae sint; nam plebis voluntas in eum fere propensior erat, a quo expeditior et largior remuneratio fore videbatur. Ex his Pompeiani et Caesariani, ipsi invalidi et numero et opibus et auctoritate, valebant tamen auxilio eorum ad quorum nutum et arbitrium se totos accommodabant. Contra optimates et propriis opibus florebant iisque non contemnendis et propriam causam tuebantur, seiunctam illam quidem a commodo publico, non tamen obnoxiam rationibus et nutui potentium. Regnabant enim in senatu, cuius auctoritas quantumvis imminuta esset ac senescens, ita tamen fundata erat legibus, firmata more maiorum, clara multis rebus prudenter et prospere gestis, ut etiam illo tempore, quo ius vi obrutum erat potentiorque habebatur prior, negligere eam, nedum contemptui habere auderet nemo, ne potentissimus quidem. In ea igitur quantum praesidii fuerit optimatibus ad inimicum quemlibet vel aggrediendum vel propulsandum, cum reipublicae nomen suis commodis praetendere liceret, nemo est qui non videat. Propositum autem erat optimatibus ut ad auctoritatis pristinae spem senatus revirescceret, et in hac una cura cogitationeque eo intentiore studio versabantur, quo acriores solent esse morsus intermissae dominationis quam retentae. Itaque cum omnes, qui aequabilitatem communis iuris praestantia dignitatis aut fortunae suae transire videbantur, infestis oculis custodiebant, tum a Caesare, quippe quo gravior aut acrior inimicus causae nobilium numquam extitisset, capitali odio dissidebant neque quicquam anti-

quius habebant quam ut illi successor quamprimum mitteretur. Sed res non ea erat quae expediri posset fortiter loquendo aut graviter decernendo; armis erat opus, militibus, duce, quarum rerum spes nulla erat nisi in Pompeio. In illius igitur viri potestate maxima certe ex parte situm erat, quales eventus habitura essent Marcelli conata.

Pompeius vero ad bellum non erat paratus, intellexerat valde sibi providendum esse ne qua iusta querella adversario esse posset, nondum desperaverat coerceri posse Caesaris cupiditatem lenioribus remediis, auctoritate sua, decretis senatus, consensu bonorum. Itaque quod primo loco Marcellus proposuerat, ut, quod bellum confectum esset, Caesari statim successor mitteretur, tamquam iniquum, temerarium, periculosum consilium plane repudiavit; nam virum rerum gestarum splendore illustrem et optime de patria meritum nulla necessitate cogente imperio orbare, id non esse senatus, qui eundem hominem summis ac prope inauditis honoribus iterum ac saepius ornasset et qui cum omnibus tum maxime his dubiis atque asperis temporibus summa cura praestare deberet, ne quis vir clarus aut potens huic ordini iure irasci posse videretur.[8]

Quo facto cum Marcellus abiecto consilio priore ad alterum invitus descendisset,[9] ne in hac quidem re Pompeius cupiditati optimatium concessit. Opposuit datum esse Caesari lege sua

[8] App. b. civ. II, 26 Διεκώλυσεν ὁ Πομπήϊος εὐπρεπείᾳ τε λόγου καὶ εὐνοίας ὑποκρίσει, μὴ δεῖν ἄνδρα λαμπρὸν καὶ ἐς πολλὰ χρήσιμον τῇ πατρίδι γενόμενον ὑβρίζειν βραχεῖ διαστήματι χρόνου. Dio 40, 59: ὁ Πομπήϊος τὸ μὲν δὴ τὸν Καίσαρα τῆς ἡγεμονίας παραλυθῆναι οὐδὲ ἑαυτῷ ἀρέσκειν ἐπλάττετο. Qua in re qui simulationis locus fuerit ego quidem non video, nam decedere Caesarem, id quidem sine dubio Pompeio placuit, eo vero tempore de successione decerni, id non placuit. Ceterum et Appiani et Dionis locum ad priorem Marcelli relationem pertinere supra demonstravimus.

[9] Abiectam esse priorem Marcelli actionem ex his Coelii verbis coniicio (ad fam. VIII, 8): *Itaque iam, ut video, alteram utram ad conditionem descendere vult Caesar, ut aut maneat neque hoc anno sua ratio habeatur, aut si designari poterit decedat.* Nam si eiusmodi conditiones proponi potuerunt, senatus Kal. Mart. proximis acturus erat, non num Caesari statim succedi placeret, sed num ratio eius habenda esset, si decedere recusaret.

et Crassi[10] non solum quinquennale imperium sed id praeterea ut ultimo demum imperii anno de successione ad senatum referretur[11], ostendit si in Kal. Mart. proximas relationem distulissent et legem salvam esse et id quod vellent bene effici, ne Caesar consulatum peteret retinens exercitum, censuit igitur nullum hoc tempore senatus consultum esse faciendum.[12] Haec et talia Pompeius palam prae se ferebat, satius esse ratus opinionem aequitatis et mansuetudinis praebere quam minas iactare quae inanes essent futurae. Ne vero optimates a se abalienarentur neve desperantes de suo auxilio rem cunctanter aut leniter agerent vel omnino omitterent, in circulis disputationibus congressionibus familiarium voces quasdam coniecit, quibus evulgatis efficeret ut sibi cum Caesare negotium esse homines existimarent. Velut dixit omnes oportere senatui dicto audientes esse, et si qui Kal. Martiis proximis intercederent, hoc nihil interesse, utrum C. Caesar senatui dicto audiens futurus non esset, an pararet qui decernere senatum non pateretur; quin etiam eo furoris progressus est, ut cum quispiam inter-

[10] Vide quae supra p. 9 seq. de hac lege disputavimus.

[11] Quo tempore de successione referri liceret adscriptum fuisse legi collegimus ex eo, quod Pompeius dixit se ante Kal. Martias non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post Kal. Mart. se non dubitaturum; nam cum etiam tum longiorem diem Caesari praestituere liceret, cur de provinciis tum statuere noluerit causam excogitare non possumus, nisi lex ne ante Kal. Mart. referretur sanxerat. Hoc idem patet ex his verbis Hirtii (bell. Gall. VIII, 53): *Marcellus proximo anno, cum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeii et Crassi retulerat ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis, sententiisque dictis discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris invidia quaerebat, senatus frequens in alia omnia transiit.* Nam si Hirtius verba *contra legem Pompeii et Crassi* ad Caesaris decessionem, non ad Marcelli relationem referri voluisset, haud dubie scripsisset: *Marcellus contra legem Pompeii et Crassi retulerat, ut Caesari ante tempus successor mitteretur.*

[12] Coelius in ep. ad fam. VIII, 9: *Pompeius tuus aperte non vult Caesarem et provinciam tenere cum exercitu et consulem. Ipse tamen hanc sententiam dixit, nullum hoc tempore senatus consultum faciendum; Scipio hanc, ut Kal. Martiis de provinciis Galliis neu quid coniunctim referretur. Contristavit haec sententia Balbum Cornelium, et scio eum questum esse cum Scipione.*

rogasset: Quid? si consul esse et exercitum habere Caesar volet? non dubitaret respondere: Quid? si filius meus fustem mihi impingere volet?[13]

Quae cum ita essent, ne alterum quidem quod Marcellus intenderat peragere licuit; nam ipso Pompeio auctore, cum discessio facta esset, senatus frequens in alia omnia transiit.[14] Verum cum plane perspecta esset Pompeii voluntas in eam partem ut Caesar proximo anno decederet, id certe optimates quam diligentissime praecavendum esse existimarunt, ne quod parum prospere tunc cessisset proximo quoque anno ad irritum caderet. Quod inceptum cum Pompeius non auctoritate solum, quae tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiam Scipionis adiuvaret,[15] quae cum ille socer esset ex ipsius Pompeii ore mitti videbatur, quoad eius per senatum fieri potuit, facillime est perfectum. Sunt autem ex his quae tunc optimates excogitaverunt tria potissimum quae Caesaris rationibus officerent.[16]

Ac primum quidem decrevit senatus pridie Kal. Oct. in aede Apollinis, *uti L. Paullus, C. Marcellus coss., cum magistratum inissent, ex a. d. Kal. Mart., quae in suo magistratu futurae essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex a. d. Kal. Mart. ad senatum referrent, neve quid coniunctim de ea re referretur a consulibus, utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent senatusque consultum facerent, et, cum de ea re ad senatum referretur a consu-*

[13] Coelius l. l. VIII, 4 et 8. Plut. Pomp. 57.

[14] Hirtius b. Gall. VIII, 53.

[15] Coelius in ep. ad fam. VIII, 9.

[16] Coelius (ad fam. VIII, 8) tribus senatus consultis eo tempore factis hoc quartum adiungit: *Senatui placere de militibus, qui in exercitu C. Caesaris sunt: qui eorum stipendia emerita aut causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur causaeque cognoscantur. Si quis huic S. C. intercessisset, senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re ad hunc ordinem referri. Huic S. C. intercessit C. Caelius, C. Pansa tribuni pl.* Quod senatus consultum quamquam ad Caesaris incommodum valde pertinuit, tamen cum per se apertum sit neque multum ad nostram causam explicandam faciat, verbo id attigisse satis habui.

libus, qui eorum in CCC iudicibus essent, sex (eos) adducere liceret. Si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, uti Ser. Sulpicius, M. Marcellus coss., praetores tribunique pl., quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent, quod ii non tulissent, uti quicunque deinceps essent ad populum plebemve ferrent. Hoc senatus consulto cum quocumque cautionis genere potuit a senatu provisum esset ut consules proximi certo die de provinciis referrent et rem quam celerrime ad finem perducerent, fieri autem posset ut tribuni plebis impedimento essent, ne id fieret alterum senatus decretum factum est: *senatum existimare neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quominus de republica populi Romani Quiritium ad senatum referri senatique consultum fieri possit: qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rempublicam fecisse: si quis huic senatus consulto intercessisset, senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re ad senatum populumque referri.* Ac ne in hoc quidem acquieverunt optimates; ira eorum et pertinacia eo processit, ut ipsi senatui necessitatem quandam imponere auderent decernendi Kal. Mart. id quod ipsis placeret. Nihil enim aliud spectat senatus decretum, quod Coelius quarto loco refert: *senatui placere in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent, eos qui praetores fuerunt neque in provinciam cum imperio fuerunt, quos eorum ex S.C. cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere.* Nam si tum in novem provincias praetorii missi essent, quae proximo anno consulares decernerentur, praeter Syriam nullae erant nisi Hispaniae, quas Pompeius et Galliae quas Caesar obtinebat. Itaque cum duae provinciae ex lege quotannis consulares decernendae essent, aut Caesari succedi oportuit aut Pompeio aut utrique. Quoniam vero Caesar gravior hostis erat idemque tam potens ut ne solus quidem opprimi posset nisi ope Pompeii, nisi opportunitatem differendo perdere volebant, nullum consilium, nullius rei electio patribus est relicta. Cum eligendum esset ex duobus malis minus et ex hoc ipso excerpendum quod inerat boni, non modo

parci omni ratione Pompeio necesse erat, sed etiam ex eius potissimum arbitrio rem totam administrari.

Optimatium consilia quae fuerint, quam perniciosa Caesari, apparet; videamus nunc quibus subsidiis et qua ratione ille perfecerit ut si non ad irritum redigeret, conturbaret tamen ea atque infringeret. Erat autem Caesari, cum qui eius causae favebant senatores numero parum valerent, duplex omnino praesidium, alterum intercessio tribunicia, alterum ipsorum adversariorum timiditas atque ignavia. Quorum utrumque, certissimum alias, in hac causa magna ex parte suam vim et suam utilitatem amiserat. In metu enim et ignavia adversariorum quae spes esse potuit, cum ea res ageretur, quae media esse videretur et ad differendum certamen valde idonea? Atque intercessio tribunicia, acerrimum illud ac prope invictum telum ad plebis commoda tuenda, privatis commodis qui potuit adhiberi quin levis fieret ac prorsus invalida ad sustinendam invidiam? Itaque Caesar, cum subsidiorum alterum plane inutile factum esset, alterum adhiberi non posset nisi in iniuria aperta ac ne tum quidem sine periculo, aliquid incommodi, dummodo tolerabile esset et quod postea posset resarciri, subire maluit, quam imprudenter et pertinaciter agendo in discrimen committere id in quo ad summam rei omnis sua spes resideret.

Atque quod primo senatus consulto sanctum erat, ut Kalendis Martiis proximis de consularibus provinciis ageretur, quantumvis ad Caesaris perniciem pertineret, eiusmodi tamen erat, ut tribuni, si intercedere voluissent, quid praetenderent intercessioni vix aut ne vix quidem invenire possent. Quotannis enim ut consulares provinciae decernerentur et in more maiorum erat positum et legibus perspicue cautum; nominatim autem, id quod querendi locum dedisset, Caesaris mentio facta non erat. Quare huic quidem senatus consulto tribunicia intercessione moram afferre Caesar ausus non est, idque eo minus, quo maior spes erat evitari posse proximo anno periculum ex ea re imminens.

Sed ceterarum rerum, quas consul ad senatum retulerat, non eadem erat ratio. Primum enim si rata essent habita illa se-

natus consulta, damnum quod Caesar accepisset, cum intercessio tolleretur omnisque spes per benevolentiam aut infirmitatem patrum aliquid impetrandi plane adimeretur, gravissimum fuisset et id quod compensari nullo modo posset. Deinde ne causae quidem intercedendi tribunis deerant, quippe qui defendere possent, altero senatus consulto circumscribi et in ordinem cogi tribuniciam potestatem, altero fieri praeiudicium de cive optime de republica merito, utrumque contra leges et morem maiorum, cum nulla necessitas cogeret, quasi in regno esset populus Romanus, non in libertate. Quare his quidem intercessionem interponere Caesar non dubitavit. Intercesserunt alteri senatus consulto C. Caelius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa tribuni plebis, alteri C. Caelius et C. Pansa.

Quo facto certamen hoc quidem anno cessavit. Nam Pompeianis quominus intercessioni aperte repugnarent in mora erat cum metus ne ipsi qui legum patrocinium suscepissent leges viderentur negligere, tum commodi quod assecuti erant magnitudo. Evicerant enim primum ne quis tribunus, qui Caesaris causae faveret, impedimento esse posset quominus Kal. Mart. de provinciis ageretur. In quo magnum inerat commodum; facilius enim est de re, quae magnam publicae utilitatis speciem habeat, ne omnino agatur impedire, quam ad irritum vocare si quid eiusmodi sit decretum. Deinde ne id quidem iam integrum ac liberum erat tribunis, ut intercederent si quid iniquius de Caesare esset constitutum. Quoniam enim disceptatio de Caesaris provinciis cum ceteris provinciis coniuncta erat, si de illis mora iniecta esset a Caesarianis, tribuni Pompeii causae dediti pronuntiare potuissent se, nisi libere de omnibus provinciis senatui decernere liceret, reliquas impedituros. Ex qua re fieri non potuit quin summa invidia Caesaris patrono redundaret. Pompeiani enim culpam a se in adversarium transferre potuerunt criminantes cum magna veritatis specie, qui initium fecisset impediendi quominus senatus rempublicam capesseret, eius opera et culpa accidisse ut omnes provinciae sine imperio essent idque reipublicae tempore gra-

vissimo.[17] Denique his magnis utilitatibus haec quoque opportunitas adiungebatur, ut novi magistratus omnes Caesaris rebus aut palam adversarentur aut simularent certe se adversari. Quid mirum igitur quod Pompeiani in iis quae assecuti erant facile acquiescentes praeclare parati esse sibi videbantur ad certamen quod ineundum iis erat Kalendis Martiis proximis de summa rerum.

Quae cum ita essent, ne Caesari quidem hoc anno causa ulla occasiove data est palam in senatu de iure suo decertandi. Clam vero nihil praetermisit unde praesidii aliquid periculis aut adiumenti consiliis petere posset. Obtinuerat ne quid praeiudicii causae suae afferretur, devinxerat sibi militum animos penitus, effecerat ut nomen suum apud plebem in maxima gratia esset. Sed quamvis magna ea essent, tamen in iis non acquievit. Intellexerat multum ad causam suam obtinendam interesse ne a legibus palam discedere videretur neve cogeretur sine iusta causa ad arma descendere. Itaque quae pars anni reliqua erat, totus erat in eo ut principum voluntates temptaret et si posset suae causae conciliaret. Qua in re cum pugnaret et auctoritate et gratia et largitionibus effusis, cum multos alios spe aut metu ad suas partes traduxit, tum ingenti mercede effecit ut Aemilius Paullus, consul designatus, se non adversaturum, Curio, tribunus plebis violentissimus, etiam operam se

[17] Cic. ad fam. VIII, 5: *Accedit huc, quod successionem futuram propter Galliarum controversiam non video. — — Nosti enim haec tralaticia: de Galliis constituetur; erit qui intercedat; deinde alius existet qui, nisi libere liceat de omnibus provinciis decernere senatui, reliquas impediat. Sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur.* Cic. ad Att. V, 21: *Ex iis rebus hoc vereor, ne, cum Pompeius propter metum rerum novarum nusquam dimittatur, Caesari a senatu nullus honos habeatur, dum hic nodus expeditur, non putet senatus nos, antequam successum sit, oportere decedere nec in tanto motu rerum tantis provinciis singulos legatos praeesse. Hic ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo, atque eo magis, quod tu abes, qui consilio gratia studio multis rebus occurreres.* Cic. ad Att. VII, 7: *Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt? nunquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi coeptum esset, quam sententiam senatus sequi noluit; ex quo factum est ut Caesari non succederetur.*

navaturum polliceretur.[18] Ex eo tempore omnem spem causae suae in senatu tuendae Caesar positam habuit in huius viri calliditate, eloquentia, constantia.

VI. QUID CONSILII CURIO INIERIT AD CAUSAM CAESARIS SUBLEVANDAM.

Ardua erat et ad explicandum difficillima res quam Curio susceperat. Obsistere enim studiis nobilitatis cunctae, impedire voluntatem consentientis senatus, repugnare opibus Pompeii qui regis instar in urbe dominabatur, difficile id erat per se ipsum, difficilius in re quae tardari non posset nedum impediri sine magno reipublicae periculo, difficillimum homini qui modo florentissimus in optimatium ratione[1] repente existeret adversariorum acerrimus propugnator. Sed Curio oppressus aeris alieni magnitudine, incitatus insatiabili gloriae cupidi-

[18] Dio 40, 60: Κἂν τούτῳ καὶ τὰ οἴκοι τρόπον τινὰ, τοῦ μὴ πάντα βίᾳ ἀλλὰ καὶ πειθοί τι πράττειν δοκεῖν, προδιοικήσασθαι ἐθελήσας ἔγνω συναλλαγῆναι τῷ Κουρίωνι. Τοῦ τε γὰρ τῶν Κουριώνων γένους ἦν, καὶ τὴν γνώμην ὀξὺς, εἰπεῖν τε δεινὸς, τῷ τε πλήθει πιθανώτατος, καὶ χρημάτων ἐς τὰ πάντα ἁπλῶς ἐξ ὧν ἢ αὐτός τι πλεονεκτήσειν ἢ καὶ ἑτέρῳ διαπράξειν ἤλπιζεν ἀφειδέστατος. Καὶ αὐτὸν πολλὰ μὲν ἐπελπίσας, πάντων δὲ τῶν ὀφειλημάτων, συχνῶν διὰ τὸ πολλὰ δαπανᾶσθαι ὄντων, ἀπαλλάξας ἀνηρτήσατο. Πρὸς γὰρ τὴν παροῦσαν ὧν ἔπραττε σπουδὴν οὔτ' ἀργυρίου, ἅτε καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκείνων ἀργυρολογῶν, ἐφείδετο, καὶ προσυπισχνεῖτό τισι παμπληθῆ ὧν οὐδὲ πολλοστὸν μέρος δώσειν ἔμελλεν. Καὶ οὐ μόνον γε τοὺς ἐλευθέρους ἀλλὰ καὶ τοὺς δούλους τούς τι καὶ ὁπωσοῦν παρὰ τοῖς δεσπόταις σφῶν δυναμένους ἐθεράπευεν· καὶ συχνοὶ αὐτῷ καὶ ἐκ τούτου καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν βουλευτῶν ὑπῆρξαν. Appian. bell. civ. II, 26: Ὁ Καῖσαρ Παῦλον χιλίων καὶ πεντακοσίων ταλάντων ἐπρίατο, μηδὲν αὐτῷ μήτε συμπράττειν μήτε ἐνοχλεῖν· Κουρίωνα δὲ, καὶ συμπράττειν, ἔτι πλειόνων, εἰδὼς ἐνοχλούμενον ὑπὸ χρεῶν πολλῶν. Cf. praeterea Suet. Caes. 27 et 29, Vell. II, 48, Val. Max. IX, 1, 6, Cic. ad Att. VI, 3, Lucan. I, 269, Plut. Caes. 29, Servium ad Virg. Aen. VI, 621.

[1] Quanto studio Curio nobilitatis causam amplexus sit cognosci potest cum ex Cic. ad fam. II, 7, VIII, 4 et 10, ad Att. II, 8, aliis locis epistolarum, tum ex hoc fragmento Varronis, quod extat apud Nonium p. 100 ed. Gerl.: *Quod Curio, cum id fecisset, dicebat amicis, ut illi renuntiaretur, se obstringillaturum ne triumphus decerneretur aut ne iterum fieret consul.*

tate, ceterum confisus ingenio suo et adversariorum infirmitate, neque difficultate neque ignominia neque periculo adduci potuit ut decederet de suscepta causa propositaque sententia. Aggressus est rem audacissime, administravit eam prudentissime, perseveravit in ea pertinacissime; itaque effecit ut, quod vir probus, constans, vere popularis vix sustinuisset, facile id procederet iuveni dissoluto, levitatis maculis asperso, mercede aperte empto.

Duxit autem initium actionum suarum hinc, ut consociatorum cum Caesare consiliorum omni suspicione diligenter evitata occasionem aucuparetur cum optimatibus querendi. Itaque inimicitias cum Caesare susceptas etiam acrius quam antea exercebat; lacerabat eum in contionibus, consectabatur prope quotidianis conviciis, praetermittebat nihil quo opinionem praeberet alienatae ab eius causa voluntatis.[2] Simul vero leges quasdam tulit, leves illas quidem et scriptas incaute, sed quae patrum animos offenderent et acceptae essent plebi. Quae rogationes cum parum processissent, partim quod patres repugnabant, partim quod ipse Curio perferre eas noluit, initio mensis Februarii anni 704, cum de intercalando ageretur[3] et Pom-

[2] Dio XL, 61. Vell. II, 48. *Bello civili et tot, quae deinde per continuos viginti annos consecuta sunt, malis non alius maiorem flagrantioremque quam C. Curio, tribunus plebis, subiecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam et facundus malo publico, cuius omnino voluptatibus vel libidinibus neque opes ullae neque cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompei partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. Id gratis, an accepto centies sestertio fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus.*

[3] Dio XL, 62: Ὁ Κουρίων συχνὸν ἐκ τούτου χρόνον ἄλλοτε ἄλλαις σκήψεσιν, ὥστε μηδὲν αὐτῶν τὸ παράπαν κυρωθῆναι, κατατρίψας ἀγανακτεῖν τε προσεποιεῖτο, καὶ ἡξίου μῆνα ἄλλον πρὸς τὰς ἀπ' αὐτῶν δὴ νομοθεσίας ἐπεμβληθῆναι. Τοῦτο δὲ ἐγίγνετο μὲν ὁσάκις γε καὶ καθῆκον ἦν· οὐ μέντοι κατ' ἐκεῖνο συνέβαινεν, ὥσπερ που καὶ αὐτὸς ἅτε ποντίφεξ ὢν ἠπίστατο. Haec Dionis verba parum conveniunt in nostram rei enarrationem; negamus enim et primam intercalationis mentionem a Curione illatam esse et nullum omnino locum eo anno intercalationi fuisse. Quod fecimus moti auctoritate Ciceronis. Praeterquam enim quod ille in epistola ad Atticum V, 9 iam mense Iunio anni 703 amico mandavit ut pugnaret ne proximo anno intercalaretur, scripsit

peiani, ne quid temporis Caesari ad imperium accederet, intercalari nollent, Curio aperte iis restitit, verbo quod, si in Kalendas Martias rogationes suae reiicerentur, quoniam post eum diem antequam de Caesaris provinciis transactum esset cum populo agi non posset, necesse esset senescere eas et oblivione obrui, re vera ut iustam deficiendi ab optimatibus causam nactus proditionis ignominiam et infamiam levaret et si posset effugeret.

Quare cum ut intercalaretur non impetrasset, urgens occasionem, qua meliorem reperire vix potuit, aperte transfugit ad populum,[4] ut optimatibus videbatur, levissime, ut ipse vociferabatur, summis iniuriis provocatus et ipsa necessitate coactus. Novum in republica exemplum introductum queritur ut ii, quorum ipse honori et dignitati semper favisset adiutorque fuisset, suae laudi omnium maxime obtrectarent et, qui solam publicam salutem spectare sibi viderentur et de libertatis amore odioque tyrannidis magnifice se intoleranterque iactarent, privato odio dediti quod ipse reipublicae causa suscepisset, quacumque ratione possent, tardarent atque impedirent. At se esse tribunum plebis, habere rationem quid a populo accepisset, malle maximum laborem et gravissimas inimicitias subire quam committere ut inertia aut metu de officio et fide deduceretur.

Haec vociferatus nulla mora interposita, partim ut optimatium animos etiam magis excitaret et lacesseret, partim ut quod de plebis commodis iam diu meditatus esset in nobilium gratiam usque ad illud tempus videretur retinuisse, duas leges promulgavit, plebi vehementer gratas, nobilitati tristes, ipsi reipublicae minime salutares, unam alimentariam qua iussit

Id. Febr. 704 ad eundem V, 21: *Cum scies, Romae intercalatum sit nec ne, velim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint*, unde colligi potest expectatam fuisse intercalationem neque eius rei primam mentionem factam esse a Curione.

[4] Quod addit Coelius (ad fam. VIII, 6) *et pro Caesare loqui coepit*, si verum quaeris, recte se habet; si quod Curio palam prae se ferebat, falsum est. Nam ad Caesaris partes Curionem tum aperte non transfugisse, consiliorum eius ratio perspicue docet. Immo stetit, ut Velleius II, 48 dicit, primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare.

aediles metiri, alteram viariam de reficiendis sternendisque viis, qua ipsi praefectura viarum in quinquennium data est.[5] Quae rogationes neque perlatae sunt, neque ut perferrentur Curio magnopere contendit; id vero quod in iis ferendis sibi proposuerat assecutus est praeclare. Nam cum antea modicis suis rogationibus effecisset ut suo iure de optimatium causa deficere videretur, tunc plebicola repente evasit omnisque aurae popularis captator.

Quo facto duplex ei via patebat Caesaris sublevandi: nam aut pronuntiare potuit, si sibi non liceret suas leges ad populum ferre, ne de ceteris quidem rebus quicquam agi se passurum, aut expectare consilia adversariorum et si quid iniquius de Caesare decrevissent id ipsum impugnare tamquam concordiae auctor,

[5] App. bell. civ. II, 27: Ὁ δὲ Κουρίων, ἵνα μὴ ἄφνω μετατιθέμενος γίγνοιτο κατάφωρος, εἰσηγεῖτο βαρυτάτας ὁδῶν πολλῶν ἐπισκευάς τε καὶ κατασκευὰς καὶ αὐτὸν ἐπιστάτην αὐτῶν ἐπὶ πενταετὲς εἶναι, εἰδὼς μὲν αὐτὸν οὐδὲν τούτων ἐσόμενον, ἐλπίζων δὲ τοὺς Πομπηΐου φίλους ἀντιλέξειν, καὶ αὐτὸς ἐς τὸν Πομπηΐον ἕξειν τι τοῦτο πρόσκρουμα. Καὶ γενομένων τῶνδε ὡς προσεδόκησεν, ὃ μὲν εἶχε τὴν πρόφασιν τῆς διαφορᾶς. Coelius in ep. ad fam. VIII, 6: *Quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, iam calet, nam ferventissime concerpitur. Levissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum et pro Caesare loqui coepit, legemque viariam non dissimilem agrariae Rulli et alimentariam, qua iubet aediles metiri, iactavit. Hoc nondum fecerat, cum priorem partem epistolae scripsi.* Praeter hos locos nusquam harum legum mentio fit. Nam quod haec verba Ciceronis ad Att. VI, 1: *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis et rheda equis iuncta et lectica et familia magna, pro qua, si Curio legem pertulerit, HS centena pendat necesse est* nonnulli interpretes ad legem viariam referunt, aperte errant. Primum enim cum illa lex ante mensem Februarium promulgata non esset et cum quae Romae acta sunt perferri solerent ad Ciceronem in Ciliciam post intervallum duorum mensium, raro post quadraginta dies, fieri nullo modo potuit ut Cicero VI Kal. Mart., quo die epistolam ad Atticum scripsit, de lege illa quicquam haberet compertum. Deinde in HS centenis de vectigali quodam quod in viis et pontibus pro transitu solutum sit cogitare non licet, quod in tali vectigali nihil attinet summam significare nisi addideris unde et quo quis profectus sit. Denique illa HS centena ad solam familiam referri oportet et intelligi HS centena milia in annum; utrumque alienum a lege viaria. Quare inter eas leges, quas initio tribunatus Curio promulgaverit, sumptuariam quandam fuisse credimus ad eamque haec verba Ciceronis pertinere. Lex viaria autem et alimentaria quid statuerint, de hac re difficile est plus intelligere quam quantum ex monumentis suspicari licet.

aequitatis defensor, publicae salutis acerrimus propugnator. Quarum viarum, si Dioni fidem habemus,[6] prior a Curione inita videtur esse, si quae post Kal. Mart. facta sunt respicimus, posterior, si Curionis consilia et totius rei statum consideramus, utraque, altera post alteram, nam hastam abiicere priusquam gladii usum esse appareret non erat Curionis prudentiae.

Primo igitur, quamdiu quid Pompeiani molituri essent incertum erat, Curio ut ad omnes casus paratus esset palam prae se ferebat se non passurum decerni quicquam. Postea vero quam illi consiliorum suorum rationem in medium protulerunt, cum appareret ea esse remota ab utilitate reipublicae, seiuncta a voluntate legum, vacua aequitate, ea denique quae facile possent impugnari, sententia mutata ei incommodo, cuius alia cautio esset atque provisio, extremo remedio subveniendum esse non existimavit. Intercessurus igitur quod pati non posset quicquam decerni, tunc intercessit quod res esset inutilis violenta iniqua. Sed satis dictum est de consilio Curionis; nunc videamus qua ratione expedierit et ad finem perduxerit.

Atque initium capimus disputationis nostrae ex duobus locis Ciceronis, quorum alter extat in epistolis ad Atticum VI, 2, alter in epistolis ad familiares II, 12. Illius verba haec sunt: *Habebam acta urbana usque ad Nonas Martias, e quibus intelligebam Curionis nostri constantia omnia potius actum iri quam de provinciis;* hoc loco scribit Cicero ad Coelium haec: *Sollicitus equidem eram de rebus urbanis; ita tumultuosae contiones, ita molestae Quinquatrus afferebantur; nam citeriora nondum audiebamus.* Cognoscimus autem ex his locis de provinciis consularibus, quae ex senatus consulto proximi anni Kalendis Martiis decernendae erant, nihil actum esse usque ad XIV Kal. April., quo die Quinquatrus Minervae celebrabantur, idque factum esse Curionis constantia, quippe qui omni cura intentus fuerit ad impediendum ne quid omnino ageretur.

Quod pugnandi genus quamdiu sustinuerit ut inveniamus, maximo adiumento nobis est epistola Coelii ad fam. VIII,

[6] Dio. XL, 62.

11, in qua quid de Ciceronis supplicationibus in senatu actum sit accuratius quam solet exponit. Docet enim haec epistola nondum deflexisse Curionem eo tempore de via agendi, quam initio eum instituisse supra diximus, deflexisse autem novamque rationem iniisse non multo post supplicationes decretas. Atque illud magna certe ex parte colligi potest ex his verbis: *Non diu, sed acriter nos tuae supplicationes torserunt; incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse decerni supplicationes, ne quod furore Paulli ademptum esset boni*[7] *sua culpa videretur amisisse et praevaricator causae publicae existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus, et confirmarunt consules se his supplicationibus in hunc annum non usuros. Plane, quod utrisque consulibus gratias agas, est; Paullo magis certe. Nam Marcellus sic respondit ei, se spem in istis supplicationibus non habere; Paullus, se omnino in hunc annum non edicturum.* Ostendunt enim haec verba Curionem intercessisse non solum eis rebus quae reprehendi possent, sed etiam quas aequas et iustas esse ipse agnosceret. Adde his eiusdem epistolae haec verba: *Curioni gratiae agendae sunt, quod de suarum actionum cursu tua causa deflexit;* iam intellexeris certum fuisse Curioni omnes res impedire, sive darent eae sive non darent consulibus potestatem eripiendi sibi comitiales dies; deflexisse enim dicitur de cursu actionum sua-

[7] In codice Mediceo scriptum est *quid* pro *quod* et *ademptus* pro *ademptum*, quam scripturam falsam esse cuivis facile perspicuum est. Manutius legit *quod furore Paulli adeptus esset boni* eamque lectionem hoc modo explicat: Paullus consul, ne quid Curio agere cum populo posset, de coelo servabat; quem Curio furorem appellabat, et ex ea sibi illata iniuria hoc se bonum adeptum dicebat, quod iustam haberet causam impediendi ne quid decernere senatus posset. At bonum id appellare ille non potuit quin suspicionem moveret consociatae cum Caesare voluntatis; nam vero propugnatori publicae causae nihil boni in eo inerat. Praeferendam igitur duxi Lambini lectionem *quod — ademptum esset,* cui haec sententia subiecta est: Curio supplicationes impedire voluit ne, si concessisset ut illis supplicationibus dies comitiales eriperentur, qui antea Paulli furore adempti essent, volenti sibi et clam adiuvanti erepti viderentur esse. Sed ne haec quidem lectio mihi plane satisfacit.

rum concedens de supplicationibus Ciceronis, quamquam consules affirmaverant se in illis spem non habere.

Ad alteram partem sententiae nostrae si nunc venimus, res nobis patefacta est his verbis: *In unam causam omnis contentio coniecta est, de provinciis; in quam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar Id. Nov. decedat. Curio omnia potius subire constituit quam id pati; ceteras suas abiecit actiones.* Nam vetare quicquam de republica agi, quod comitiales dies eriperentur, consentaneum id quidem erat consilio Curionis, quamdiu ad populum erat acturus; idem vero facere abiectis illis actionibus, cum comitialium dierum usus iam non esset, absurdum erat et quod nullam haberet viam defensionis. Accedit autem aliud non minus perspicuum indicium. *Hoc tibi dico*, inquit Coelius, *si omnibus rebus prement Curionem, Caesar defendetur; intercessorem si, quod videntur, reformidabunt, Caesar quoad volet manebit.* Quid est hoc, quaeso? Defensus igitur non erat Caesar a Curione iam inde a Kal. Mart.? At defensus erat acriter et ita ut neminem falleret. Quid igitur attinuit dicere defensum iri Caesarem, instare intercessionem, periculum esse ne illius metu Pompeiani ab incepto absisterent? Nimirum nihil, nisi plane novo more Caesar postea defensus esset. Et ita factum est. Antea enim, cum Curio ut suas rogationes perferre posset intercessisset, intercessio ad Caesarem nominatim nullo modo pertinuit; tunc vero, cum de provinciis agi passus esset, intercessurus si quid inique de Caesaris salute decretum esset, quantumvis videri nollet, aperte extitit Caesaris defensor.

Quae cum ita sint, permagni interest ad instituti nostri rationem ut quo tempore illae supplicationes decretae sint quam accuratissime investigemus. Quam ad rem expediendam paulo altius nobis repetendum est. Quoniam enim illae supplicationes ex litteris publicis, quas Cicero ex Cilicia Romam miserat, decretae sunt, eae ipsae quo tempore missae sint antea est quaerendum.

Paravisse autem Ciceronem eas litteras mittere extremo mense Decembri anni 703 et ipse ad Atticum V, 20 perspicuis

verbis scripsit, et colligi potest ex epistola ad familiares II, 7, in qua Curioni gratulatur quod in locum Servii tribunus plebis creatus erat. Tamen missae eae non sunt ante mensem Februarium anni proximi. Cuius rei duo argumenta sunt. Prius inest in eo quod Cicero, cum in litteris Id. Febr. ad Atticum datis (V, 21) nullam huius rei mentionem fecisset, a. d. VI Kal. Mart. ad eundem (VI, 1) haec scripsit: *propter casum navigandi per binos tabellarios misi Romam litteras publice.* Alterum argumentum petimus ex eiusdem epistola ad fam. III, 9, quam ex Cilicia ad Appium Claudium scripsit, in qua haec legimus: *Illud, quod polliceris, velim pro tua fide diligentiaque et pro nostra non instituta sed iam inveterata amicitia cures enitare, ut supplicatio nobis quam honorificentissime quam primumque decernatur. Omnino serius misi litteras quam vellem; in quo cum difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsnm discessum senatus incidisse credo meas litteras.* Primum enim haec verba scripta esse non multo postquam publicae litterae a Cicerone missae sint apparet ex eo quod in eadem epistola Cicero Appium ut honori suo faveat rogat. Deinde ne id quidem dubitari potest quin scripta non sint ante VI Kal. Martias. Nam hac epistola rescripsit Cicero ad Appii litteras Roma missas; in epistola autem ad Atticum VI, 1, quae illo die data est, Cicero amicum edocet ex itinere Appium bis terve ad se litteras misisse, ex urbe datas memorat nullas.

Apparet iam quo tempore publicae illae litterae missae sint; sequitur ut quaeramus quando Romam advenerint. Cuius rei cum certa indicia non extent, coniectura nobis facienda est ex iis epistolis, quae quo temporis spatio ex Cilicia Romam vel hinc illuc perlatae sint notum est. Quales has invenimus. In epistola ad Att. V, 18 scribit Cicero se accepisse Attici litteras datas a. d. XIV Kal. Sextiles. Scripsit autem Cicero illam epistolam ad Cybistra Cappadociae, quo loco, si epistolis ad Att. V, 20 et ad fam. XV, 4 credimus, dies quinque, si epistolae ad fam. XV, 2 fidem habemus, dies tres castra habebat, et ex quo nondum discesserat a. d. X Kal. Oct. (ad Att. VI, 1). Vel hinc igitur patet assignandam esse eam epistolam medio mensi

Septembri. Adde quae Cicero narrat ad Att. V, 19, iam intellexeris scriptam eam esse a. d. XI Kal. Octobres. Deinde epistola Coelii ad fam. VIII, 6, quae data erat Roma extremo mense Februario, reddita est Ciceroni Laodiceae (ad Att. VI, 2, 6) extremo mense Aprili, nam eo fere tempore scripta est epistola ad fam. II, 13, qua ad illam Coelii epistolam Cicero rescripsit. Tum a. d. XI Kal. Mart. accepit Cicero Attici litteras, quibus ille responderat Ciceronis litteris datis a Cybistris a. d. X Kal. Oct. (ad Att. VI, 1). Denique initio mensis Maii, quo tempore Laodiceae versabatur, habebat Cicero acta urbana usque ad Nonas Martias (ad Att. VI, 2). Haec sufficere existimamus ad demonstrandum, tabellarios ex Cilicia Romam proficiscentes circiter duos menses in itinere moratos esse. Ceterum etiam aliquanto citius aut tardius epistolas illas interdum redditas esse docent hi loci Ciceronis: ad Att. V, 19 *Appii tabellarius a. d. XI Kal. Oct. septimo quadragesimo die Roma celeriter — hui tam longe! — mihi tuas litteras reddidit*; ad Att. V, 21 *Laenii pueris te dedisse litteras saepe ad me scripseras. Eas Laodiceae denique, cum eo venissem, III Id. Febr. Laenius mihi reddidit, datas a. d. X Kal. Octobres.*

Haec si recte explicavimus, perspicuum est publicas litteras Ciceronis Romam perferri non potuisse ante mensem Aprilem. Inciderunt igitur, id quod Cicero ne fieret metuit, in ipsum discessum senatus. Discedere enim solebat senatus eo mense, cuius fere dies omnes aut ludis dabantur aut festi erant aut comitiales; quo factum est ut toto illo mense senatus raro tantum consuleretur nec nisi de rebus aut adeo necessariis ut dilationem non viderentur pati, aut adeo exiguis ut per infrequentem senatum recte possent peragi.

Neque solum allatae sunt Romam eae litterae in discessu senatus, sed etiam relatum est de iis ad senatum eodem tempore, non postea. Quod facile cognoscimus ex his quae de Hirro Coelius ad fam. VIII, 11 memorat: *Renuntiatum nobis erat Hirrum diutius dicturum: prendimus eum; non modo non fecit, sed, cum de hostiis ageretur et posset rem impedire, si ut numeraretur postularet, tacuit. Tantum Catoni assensus est, qui de te locutus*

honorifice, non decrerat supplicationes. Aperte enim docent haec verba infrequentem tum senatum fuisse;[8] id quod si casu quodam aut malevolentia factum esset, Coelius vix neglexisset queri ne frequentiam quidem debitos Ciceroni honores efficere potuisse.[9]

His expositis cum quando Curio consilium mutaverit pateat, restat ut cur mutaverit paucis exponamus. Qua in re minis conviciisve nobilium Curionem cessisse aut impetu quodam animi magis quam cogitatione usum esse cum ob insignem eius audaciam, prudentiam, constantiam credi nullo modo possit, illud ipsum consilium quod abiecit vitiis quibusdam et incommodis laborasse necesse est. Atque erat illud invisum multis ipsique Caesari suspectum neque tutum vel incepto vel eventu. Quicumque enim aliquid a senatu petebant, et multi erant quorum vel honores vel fortunae ex arbitrio senatus penderent, non solum inimici Caesaris, sed etiam qui causae eius magno studio favebant, hi omnes quod spes suas tardaret crimini ducebant Curioni nec ipsum Caesarem ex culpa eximebant. Quam rem molestam Caesari fuisse non est quod pluribus demonstrem. Res ipsa docet. Nam qui semper quanta maxima poterat cura intentus fuerat ut animos hominum conciliaret et ad suos usus adiungeret, eius non erat quicquam committere quo studia hominum languescerent vel plane a sua causa abalienarentur. Nihil igitur Caesarem praetermisisse quo Curionem a tam temerario consilio avocaret utique est statuendum.

[8] Luculentum huius rei exemplum suppeditat Cicero ad fam. I, 9, 8: *Marcellino et Philippo consulibus Nonis Aprilibus mihi est senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur.*

[9] Quanti Romanorum interfuerit ut de suis honoribus frequenti senatu decerneretur, quantopere id ad suam dignitatem pertinere duxerint cum maxime intelligitur ex iis locis, quibus Cicero frequentissimo senatu se revocatum esse gloriatur, veluti in Pis. 15, p. Sest. 61, post red. in sen. 10. Cf. Cic. ad fam. II, 10. Cur autem id fecerint cum per se est perspicuum, tum ostendunt haec verba Ciceronis in I Phil. c. 5: *De supplicationibus referebatur, quo in genere senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, de quorum honore agitur, gratia; quod idem fit, cum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut paene liberum sit senatori non adesse.*

Atque inest quaedam eius rei significatio in his verbis Coelii, quibus Cornelium Balbum Caesari amicissimum laudat ob operam in supplicationibus Ciceronis studiose navatam: *Balbi quoque Cornelii operam et sedulitatem laudare possum; nam cum Curione vehementer locutus est et eum, si aliter fecisset* (i. e. nisi intercessionem remisisset), *iniuriam Caesari facturum dixit, tum eius fidem in suspicionem adduxit.*

Neque hoc uno nomine reprehendi potuit Curionis consilium. Frustrari enim intercessione spes multorum hominum, efficere ut omnes provinciae sine imperio essent, perturbare totam administrationem reipublicae, plane novum atque inauditum illud quidem non erat; impedierant veteres illi tribuni plebis saepe ne quid pro potestate magistratus agerent, intercesserant senatus consultis gravissimis, non metuerant ne sua culpa respublica sine magistratibus videretur esse; sed certaverant illi et pervicerant propugnantes pro commodis plebis, cum patres periculis undique cincti multis et magnis curis distinerentur, eo denique tempore quo verecundia legum et ipsius sacrosanctae potestatis nondum evanuerat. Quarum rerum Curioni contigit nulla. Primum enim ipse libidinum luxuriaeque maculis erat notatus, flagrans infamia recentis perfidiae, is denique a quo nulla turpis suspicio ne falsa quidem abhorreret. Deinde optimates validi cum suis tum praecipue Pompeii opibus, cum persuasum iis esset nullum fore cedendi finem praeter exitium, in id unum omnes incumbebant ut Caesari hoc anno succederetur, neque ulla res erat in quam partem aliquam curae et cogitationis derivarent. Denique tempora ea erant, ut iure ac legibus aperte contemptis omnes quicquid expediret id licere putarent neque quaestus via inventa curarent exitum rationemve defensionis. Quid mirum igitur quod Curioni dubitatio timorque iniectus est, quid suscipere posset, quid sustinere?

Age porro: odium quod in Caesarem optimates conceperant et diu continuerant acerbissimum erat, adeo acerbum ut, dummodo illud saturare liceret, aliarum rerum iacturam, modicam certe, aequo animo essent laturi. Deinde rogationes Curionis ambitiosae erant et inutiles; spem igitur offerebant fore ut ad

irritum caderent aut sua insulsitate aut aliorum tribunorum intercessione. Quid igitur? ut optimates his rationibus ducti Curionis postulato cederent num id fieri nullo modo potuit? Immo facillime. Quid vero? si consules professi erant se in mora non futuros quominus Curio de quibus rebus quo tempore vellet cum populo ageret,[10] quid consilii reliquum erat Curioni? Remitteret intercessionem necesse erat, quippe cui quod praetenderet iam non esset. Remittenda autem si utique erat, voluntate potius quam coactum remittere multo praestitit. Ita certe consecutus est Curio famam moderationis et modestiae, retinuit causam querendi cum Pompeianis, tuitus est speciem indignantis populi vicem, quae res quanti ad opinionem vulgi et ad eventum negotii suscepti fuerint nemo est qui non videat.

VII. QUID ACTUM SIT IN SENATU DE PROVINCIIS MENSE MAIO ANNI MDCCIV.

Posteaquam Curionis intercessio remissa est, agi coeptum est de provinciis consularibus, sine dubio frequenti senatu, qualis esse solebat initio mensis Maii. Retulit Marcellus consul et, id quod iis qui referebant liberum erat, quae sua esset de re sententia non obscure significavit. Censuit autem succedi Caesari oportere, quod consulem eum designari, priusquam exercitum et provincias tradidisset, permitti non posset legibus salvis. Quod cum dixisset, statim eius orationi vehementer a Curione reclamatum est: Datum esse lege Pompeii et Crassi imperium Caesari usque ad Kal. Martias anni proximi, concessum esse lege decem tribunorum ut ultimo imperii anno absens con-

[10] Metuendum hoc fuisse colligi potest ex eo quod non Marcelli furore, sed Paulli, quem Caesaris largitionibus corruptum fuisse scimus, comitiales dies sibi eripi Curio queritur et quod Marcellus quoque in Ciceronis causa tam facile ad pactionem descendit et confirmavit se his supplicationibus in illum annum non usurum. Vide de tota re Cic. ad fam. VIII, 11.

sulatum peteret. Negare igitur habendam esse hoc anno Caesaris rationem quid esse aliud quam ex callido versutoque iure rem iudicare, Caesari quod competeret ius per iniuriam eripere, populi iussa aperte contemnere? Itaque cum tribunorum plebis esset populi ius defendere et privatos a magistratuum iniuriis prohibere, nisi consul firmioribus argumentis sententiam suam probasset, se non passurum quicquam eiusmodi decerni.

Quibus verbis cum Curio in ipsam arcem Pompeianorum invasisset et ita invasisset ut repelli impetus vix posset, aut omittendum iis certamen erat aut transferendum in locum iniquiorem. Elegerunt e duobus malis minus. Etiamsi, inquiunt, concederemus, quod neque debemus neque volumus, tale esse Caesaris ius, eam esse populi voluntatem, tamen nostra concessione Caesar omnem vim sui iuris obtinere non posset. Omnes enim leges ad commodum reipublicae referre nos oportet et ex utilitate communi, non ex scriptione quae in litteris est interpretari. Gravius autem periculum reipublicae communive libertati imminere nullum potest quam Caesaris si exercitum retineat consulatus alter. An qui priore consulatu, cum imbecillus etiamtum esset necdum imperandi dulcedine captus, omnia perturbavit et solus plus valuit quam tota respublica, eum putamus assuefactum dominando tot annorum imperio, munitum robore undecim legionum in altero consulatu aequo et pari iure cum civibus victurum? An dimittet exercitum inito consulatu, cum cogi non poterit, is qui nunc, cum cogi aliquantum potest, tanto opere contendit ne dimittat? Itaque qui salvam esse rempublicam cupiunt, quantumvis consiliis et studiis inter se dissideant, in hoc unum pari cura omnibus incumbendum est, ut avertant a republica pestem illam gravissimam.

Fuit haec oratio non ingrata Curioni, quippe cui percommode accideret ut Pompeiani rem in controversiam vocatam omissa iuris disceptatione ad reipublicae commodum atque utilitatem exigere mallent. Nam etsi leges quae ad Caesaris causam pertinebant adeo perspicuae erant ut, sive scriptoris voluntatem sequi placebat sive id quod scriptum erat in

iis, dubitatio de Caesaris iure accidere non posset, tamen cum latae essent in gratiam unius, nulla ratione habita publici commodi, contradicentibus multis et gravissimis viris, defendere eas Curio non potuit quin opinionem hominum ultro iam enatam ipse confirmaret, emptum se esse mercede, gerere tribunatum ex arbitrio Caesaris, nihil curare, si eius rationibus servire liceret, neque existimationem suam neque amicorum fortunas neque salutem totius reipublicae. Quae opinio cum sermone omnium percrebruisset, cum multi eam mentibus suis comprehendissent et ita multi ut imperitissimus quisque non comprehendisset, cum valere et inveterascere non posset quin praeiudicati aliquid Curionis causae afferretur et vis intercessionis mirum quantum extenuaretur, permultum intererat Curionis ut eam labefactaret et si posset ex animis hominum penitus evelleret.

Itaque desperans sublevare se posse Caesaris causam nisi simulatione summae inimicitiae, quasi uni publicae utilitati intentus esset, Recte vos, inquit, illud quidem censetis, gravem esse Caesaris potentiam libertati omnium; valet enim exercitu, tenet multos spe et promissis, transiit multum communis iuris aequabilitatem. Quare si hac de causa succedi isti quam primum vultis, tantum abest ut ego repugnem ut ultro auctor huius rei vobis existam. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed reipublicae cuius causa scriptae sunt; quare privata commoda quae, quod sine alterius iniuria fiat, recte defendimus ac retinemus, ubi coeperint officere publicis, bonum civem decet haud gravate omittere, malo fas est etiam vi ea eripi. Sed unum est in vestra oratione quod mihi parum probetur. Caesaris enim potentiam nimiam esse dicitis ac non ferendam, et dicitis vere; Pompeii vero opes quas minores illis adeo non habetis ut, si quis haberet, ipsi vos vehementissime essetis reclamaturi, nimias tamen esse ac privatum modum egressas nemo vestrum attigit ne tenuissima quidem suspicione. Quid est hoc? quaeso. Tanta igitur videtur esse Caesaris intemperantia et dominandi libido, ut agere nihil possit quin libertati civium insidietur, tanta modestia et abstinentia Pom-

peii, ut dominationem non modo non cupiat aut expetat, sed etiam ultro oblatam spreturus sit, quippe quae labem aspergat suae dignitati? Dii approbent! Ergo non existunt in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque nimiae cupiditates honoris et potentiae? Numquam fuit Pompeio patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis? Non est adiutus Caesar in iis quae parum civiliter gessit praecipue eius viri opibus et auctoritate? Sed mitto haec; neque enim laudare, possum nec reprehendere libet, ne aut refricare obductam iam reipublicae cicatricem videar aut aliquid novae dissensionis alienissimo tempore commovere. Retineat igitur de ingenio et moribus horum virorum suam quisque sententiam; nihil moror. Id unum, quod meae causae abunde sufficit, facile unicuique comprobatum iri spero, unius hominis fidei atque arbitrio, quamvis licet probus ille sit et sapiens, summam reipublicae committi non posse nisi cum maximo periculo libertatis. Quare quominus Caesar de provinciis quam primum decedat, si idem faciat Pompeius, non recuso; retento autem illo huic succedi nullo modo patiar. Optimum enim duco remotis ambobus omnem metum de republica tolli; id vero si impetrari non potest, longe praestare mihi videtur duos de summo imperio decertare quam in unius potestatem cedere omnia; ita enim efficietur ut ab utriusque iniuria tuta sit respublica alterius praesidio et fiducia.

Hac oratione tantus animorum motus factus est, ut per aliquot dies in senatu propter varias calumnias nihil omnino agi posset. Plebs autem incredibili plausu et clamore Curionem excepit; deduxit eum domum, sparsit floribus, celebravit eius laudes tamquam unius qui contra periculosas hominum potentias conditioni omnium civium prospiceret neque vereretur reipublicae causa gravissimas inimicitias suscipere[1].

[1] In enarrandis his rebus secuti sumus auctoritatem Appiani et Cassii Dionis, ita tamen ut non vereremur nostrum iudicium interponere, ubi illi vel parum inter se convenire vel totum rerum statum non satis diligenter viderentur perspexisse. Qua in re num satis prudenter versati essemus quo facilius diiudicari posset, eorum verba, quae huc pertinerent, inte-

Quo facto Curio nactus praeclarum intercessionis titulum, subnixus gratia populari, adiutus ipsorum patrum metu ne rem ad extremum certamen deducerent, facilem et expeditam causam sustinere videbatur; nam ne adversarii postulatis suis obtemperarent metuendum ei non erat propter superbiam Pompeii et totam rationem consiliorum quae de Caesaris salute inierat. Tamen contigit Pompeianis non solum ut laqueos quibus iam irretiti tenebantur declinarent, sed etiam ut rationes Curionis aliquantum conturbarent et ipsum in magnas consiliorum angustias adducerent. Nam cum adversus tendendo se nihil proficere intellexissent, cedere autem Curioni neque vellent neque possent, simulando se transire in adversarii sententiam omnes in assensum sui consilii traducere decreverunt.

Aberat tum Pompeius; gravi enim et periculoso morbo Neapoli correptus et eo ipso et gratulationibus honoribusque summis, quibus convalescentem omnia municipia prosequebantur, expectatione diutius in Campania retentus erat.[2] Litteras igitur

gra describenda curavimus. Dio XL, 62: Ὁ Κουρίων μὴ δυνηθεὶς τοὺς συνιερέας πεῖσαι συγκαταθέσθαι οἱ (de intercalatione), ὥσπερ οὐδὲ ἐβούλετο, οὐδ' ἄλλο τι διὰ τοῦτο ψηφισθῆναι ἐπέτρεψεν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ φανεροῦ ἤδη τὰ τοῦ Καίσαρος διαδικαιῶν, ἐπειδὴ μηδὲν κατ' αὐτοῦ δῆθεν ἠδυνήθη ποιῆσαι, πᾶν ὅ τι ποτὲ ἐνεδέχετο οὐ δεχθῆναι προΐσχετο, καὶ μάλισθ' ὅτι πάντας τοὺς τὰ ὅπλα ἔχοντας ταῦτά τε καταθέσθαι καὶ τὰ στρατόπεδα διαλῦσαι χρή, ἢ μηδ' ἐκεῖνον ψιλώσαντας αὐτῶν ταῖς δυνάμεσι ταῖς τῶν ἀντιστασιωτῶν ἐκδοῦναι. Ἔλεγε δὲ τοῦτο, οὐχ ὅτι καὶ τὸν Καίσαρα ποιῆσαι αὐτὸ ἤθελεν, ἀλλ' ὅτι τὸν Πομπήϊον εὖ ἠπίστατο μὴ πειθαρχήσοντα αὐτῷ, καὶ ἐκ τούτου καὶ ἐκείνῳ πρόφασις εὔλογος τοῦ μὴ διιέναι τοὺς στρατιώτας ἐδίδοτο. App. bell. civ. II, 27: Ὁ Κλαύδιος εἰσηγεῖτο πέμπειν Καίσαρι διαδόχους ἐπὶ τὰ ἔθνη, καὶ γὰρ ἔληγεν ὁ χρόνος. Καὶ Παῦλος ἐσιώπα· Κουρίων δὲ, νομιζόμενος ἀμφοτέροις διαφέρεσθαι, ἐπῄνει τὴν τοῦ Κλαυδίου γνώμην· ὡς δὲ ἐνδέον αὐτῇ προσετίθει τὸ καὶ Πομπήϊον ὁμοίως Καίσαρι ἀποθέσθαι τὰ ἔθνη καὶ τὸν στρατόν· ὧδε γὰρ ἔσεσθαι τῇ πόλει καθαρὰν καὶ πανταχόθεν ἀδεῆ τὴν πολιτείαν. Ἐνισταμένων δὲ πολλῶν, ὡς οὐκ ἴσον τὸ μήπω τὸν χρόνον ἐξήκειν τῷ Πομπηΐῳ· σαφέστερον ὁ Κουρίων ἤδη καὶ τραχύτερον ἀπεγύμνου μὴ χρῆναι μηδὲ Καίσαρι πέμπειν διαδόχους, εἰ μὴ καὶ Πομπηΐῳ δοῖεν· ὄντων γὰρ αὐτῶν ἐς ἀλλήλους ὑπόπτων, οὔπω τῇ πόλει τὴν εἰρήνην ἔσεσθαι βεβαίαν, εἰ μὴ πάντες ἰδιωτεύσειαν. Ἔλεγε δὲ ταῦτ', εἰδὼς οὐ μεθήσοντα τὴν ἀρχὴν Πομπήϊον, καὶ τὸν δῆμον ὁρῶν ἤδη τι προσκοπτόμενον αὐτῷ διὰ τὰς τοῦ δεκασμοῦ δίκας. Εὐπρεποῦς δὲ τῆς γνώμης οὔσης, ὁ δῆμος ἐπῄνει τὸν Κουρίωνα ὡς μόνον ἀξίως τῆς πόλεως τὴν πρὸς ἀμφοτέρους αἱρόμενον ἔχθραν. Cf. Plut. Pomp. 58. Hirtium b. Gall. VIII, 52.

[2] De morbo Pompeii mentionem faciunt App. II, 28, Dio XLI, 6,

ad senatum misit, quarum haec erat summa: Neque tertium consulatum neque prorogationem imperii se appetiisse, sed suscepisse illa munera invitum, fatigatum precibus patrum, commotum consensu bonorum omnium, qui iterum ac saepius declarassent nisi in sua virtute et auctoritate nullum sibi esse perfugium ac praesidium salutis. Exinde se et in consulatu et postea talem se praestitisse, ut ipse Caesar confessus esset sua potissimum virtute res urbanas in commodiorem statum pervenisse.[3] Pro his tantis tamque assiduis laboribus magis ut novi honores sibi decernerentur se meruisse, quam ut veteres ante tempus quasi per contumeliam sibi eriperentur. Tamen beneficium senatus quo in tertio consulatu auctus esset, cum ex eo materiam criminandi adversarii peterent, pacis et concordiae causa parato animo se dimissurum, si ne Caesar quidem gravaretur privilegium quo, ut sua commoda exaequaret, eodem anno ornatus esset reipublicae condonare. Quare quantum in se esset, nihil obstare quominus Kalendis Martiis proximis armorum metu sublato omnis respublica senatui populoque Romano permitteretur. Ac si Caesar petitionem omittere nollet, dummodo more maiorum peteret praesens trinum nundinum exercitu ante dimisso, ne id quidem recusare se aut deprecari ne ratio eius hoc anno haberetur. Immo ne in ea re praeter necessitatem premeretur, auctorem se fore senatui reiiciendi comitia in mensem Novembrem, ut Idibus Nov. decedens consulatum posset adipisci quam minima facta imperii iactura.

Has conditiones Pompeium eo tempore proposuisse cum ex totius negotii natura collegimus, tum ex narratione Appiani, qui unus epistolae Pompeii mentionem facit. Narrat enim Appianus in bell. civ. II, 28 haec: Ὁ Πομπήϊος νοσηλευόμενος περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπέστελλε τῇ βουλῇ σὺν τέχνῃ, τά τε ἔργα τοῦ Καίσαρος ἐπαινῶν καὶ τὰ ἴδια ἐξ ἀρχῆς καταλέγων, ὅτι τε τῆς τρίτης ὑπατείας καὶ ἐθνῶν τῶν ἐπ' αὐτῇ καὶ στρατοῦ δοθέντος οὐ μετιὼν, ἀλλ' ἐς θεραπείαν τῆς πόλεως ἐπικληθεὶς ἀξιωθείη. Ἃ δὲ ἄκων, ἔφη,

Plutarchus in vita Pompeii 57, Velleius II, 48, Cic. Tusc. I, 35 et ad Atticum VIII, 16, IX, 5.

[3] Caes. b. Gall. VII, 6.

λαβεῖν, ἑκὼν ἀποθήσομαι τοῖς ἀπολαβεῖν θέλουσιν, οὐκ ἀναμένων τοὺς χρόνους τοὺς ὡρισμένους. In his verbis duae res sunt, quae dubitationem iniiciant: altera in eo posita est quod Pompeius, promittens se decessurum, ut Caesar idem faceret non postulavit, altera in eo quod nullum diem praefinivit quo ipse decedere vellet. Illam dubitationem quodammodo certe Appianus ipse tollit haec adiiciens: Ἀφικόμενος δὲ Πομπήϊος ἄλλα τε τούτοις ὅμοια ἔλεγε καὶ τὴν ἀρχὴν καὶ τότε ὑπισχνεῖτο ἀποθήσεσθαι· ὡς δὲ δὴ φίλος καὶ κηδεστὴς γενόμενος Καίσαρι, κἀκεῖνον ἔλεγε μάλα χαίροντα ἀποθήσεσθαι. Alteram vero rem plane omittit. Neque tamen omitti debet. Litteris enim illis Pompeius id egit ut suam modestiam commendaret, Caesari invidiam faceret, Curioni si non causam intercedendi plane extorqueret, tamen defensionis rationem quam facilem et prope explicatam habebat difficilem et impeditam redderet. Quod assecutus non esset, si promisisset decessurum se non certa quadam die, sed quando senatui placuisset. Ita enim potestas facta esset senatui decernendi aut ut Pompeius retineretur, Caesari succederetur, aut ut ambo statim decederent. Quorum neutrum erat e re Pompeii. Quid enim? si ut ambo statim decederent senatus decrevisset, nonne Pompeii rationes ita essent conturbatae ut de omni statu deiiceretur? Si vero illum quidem senatus retinuisset, Caesari autem successorem misisset, nonne plane eodem statu res fuisset quo antea fuerat? An non potuit Curio cum magna iuris specie eiusmodi senatus consultum impugnare et impedire, quippe quod iniquum esset Caesari, inutile reipublicae, factum impulsore et auctore Pompeio. His de causis existimamus Appianum omnem vim Pompeiani consilii assecutum non esse. Dies autem quo ipse decederet si a Pompeio praefinitus erat, qui et eius rationibus et reipublicae conditioni accommodatus esset nullum invenimus praeter Kal. Martias anni 705, quo die et Caesari et Pompeio ex legibus erat decedendum.

Restat iam unum quod de epistola Pompeii quaeri possit, quibus causis ducti ei inseruerimus commemorationem Iduum Novembrium. Cuius rei certus auctor nobis non est; sed cum antea iam Pompeius idem fere Caesari concessisset, id quod

supra p. 17 ex Coelii epistola ad fam. VIII, 11 demonstravimus, iniquiores conditiones Pompeium tum proposuisse verisimile esse non putamus atque eo minus quo studiosius ille moderationis et aequitatis famam ipso eo tempore aucupabatur. Sed de rationibus nostrae sententiae hactenus; redeat oratio unde aberravit.

Proposuerat igitur Pompeius suas conditiones, ut hominibus opinionem afferret se quod aequum reipublicae esset constituere, Curionem suis commodis saluti publicae praelatis quaerere discordias. Atque habebant eae conditiones magnam similitudinem facilitatis, aequitatis, moderationis. Quid enim erat modestius quam imperium amplum, legitime delatum, ab iis quibus fas erat non repetitum statim sub primam mentionem et convicium obtrectatorum pacis et concordiae causa omittere? Quid aequius quam postulare ut Caesar privilegium, quod et petiisset et impetrasset ut ab aucta Pompeii potentia tutari se posset, remoto illo periculo reipublicae remitteret? Quid moderatius denique aut elegantius ad hominum existimationem quam summas suas utilitates, quas ipse suis viribus facile defendere videretur, permittere liberae patrum consultationi?

At habuit suum venenum blanda oratio. Potestas erat facta Caesari optioque ut eligeret utrum vellet, dimittere exercitum et petere consulatum more maiorum, an negligere illo anno consulatum et retinere provincias usque ad Kal. Martias proximas. At illud, quamdiu Pompeius duabus provinciis copiisque validissimis praeerat et auctoritate atque gratia in curia inque iudiciis regnabat, Caesari omnino non licebat, nisi forte auxiliis salutis suae ipse deesse et inermem ac nudum se furori adversariorum obiicere in animum induxerat. Negligere autem consulatum illo anno et retinere provincias exercitumque usque ad Kal. Mart. proximas, ne id quidem tuto potuit. Quid enim? ut illo ipso die Pompeius in conditione et pacto manere recusaret et senatus non solum aequo animo id ferret, sed ultro novo et maiore imperio illum augeret, num id censes accidere non potuisse? Immo potuit facillime, ita facile ut mirandum esset si non accidisset. Factum autem si erat, quis inveniri potuit qui promissum Pom-

peii exigeret et senatus iniquitati iniuriaeque obviam iret? Caesar ipse? At erat privatus. Tribuni plebis? At nisi in opibus Caesaris nullam spem habebant victoriae? Praeterea autem qui hoc praestaret erat nemo. In extremum igitur discrimen res Caesaris vocata esset, si hoc accidisset. Sed fac stetisse pacto Pompeium, dimissos esse ab utroque exercitus, mandatas esse provincias et totam rempublicam legitimis magistratibus; ne ita quidem Caesar periculis defunctus esset. An vanum fuisse censes aut inanem metum Caesaris ne quae in consulatu adversus auspicia leges intercessiones, quae postea in provincia superbe avare crudeliter gesserat, eorum omnium cum in privatam conditionem rediisset rationem reddere cogeretur? At abalienatus erat senatus, infensi magistratus, iudices partim inimici partim adversariorum opibus perterriti. Ad hoc Cato identidem nec sine iureiurando denuntiaverat delaturum se nomen eius, simulac primum exercitum dimisisset, et vulgo fore praedicabant ut, si privatus rediisset, Milonis exemplo circumpositis armatis causam apud iudices diceret.[4] Videsne igitur eam optionem Caesari datam fuisse ut, utrumcumque elegit, facturus esset magnam aliquam causae suae iacturam?

Age iam, cum talis rerum status esset, quid faceret Curio? Acciperet conditiones? Non licuit; susceperat enim causam Caesaris. Repudiaret? Ne id quidem; iactabat enim patrocinium reipublicae. Finem autem facere alienae personae ferendae, abiicere causam publicam, aperte se coniicere in castra Caesaris, id quidem nullo modo potuit quin gravissimam invidiae molem subiret, arma multis laboribus parata ipse obtunderet, ab institutis suis cogitationibusque omnibus plane abduceretur. Magna igitur difficultate Curio affectus est, qua ratione simulatae Pompeii facilitati occurreret. Erat tamen quaedam medicina rei paene iam desperatae, periculosa illa quidem et anceps, sed, ut in tanto discrimine, minime contemnenda. Quoniam enim Pompeius ut reiicerentur, non ut acciperentur, conditiones suas proposuerat, accipiendo eas et aliqua ex parte

[4] Suet. Caes. 30.

augendo Curio rem eo deducere potuit, ut ille tales conditiones aspernatus ipse videretur causae populari officere.

Itaque populares impetus populari praesidio propulsans haec fere respondit: Duas conditiones Pompeium proposuisse, unam ut Caesar statim vel, si id magis placeret, Id. Nov. ad consulatus petitionem decederet, ipse exercitum usque ad Kal. Mart. retineret, alteram ut, si Caesar petitionem hoc anno omittere vellet, utrique Kal. Martiis proximis succederetur. Quarum illam quidem accipere se nullo modo posse; nam etiamsi Caesar, si adversarii in armis essent, ipse armis exutus, tuto Romam venire posset, quod eum non posse neminem falleret, e republica certe non esse, cum ab utroque par periculum immineret, disparem conditionem facere. Nunc enim, ubi alter alterius audaciam coerceret, si non optimam, aliquam tamen rempublicam se habere; mox si unius dominatu omnia tenerentur, plane fore nullam. Contra ea altera conditione magno gaudio se affectum esse; neque enim solum eam ostendere malle Pompeium vel intra finem iuris sui cedere concordiae causa quam nimis pertinaciter in obtinendo eo contendere, sed etiam documento esse ne illum quidem fugere quam gravia reipublicae immodica imperia essent. Tamen acquiescere se ne in ea quidem posse. Unum enim deesse ad gaudium cumulandum. Saepe cunctatione maximas opportunitates esse amissas et spes minime dubias ac plane exploratas ad irritum redactas. Itaque si gravissimum reipublicae vulnus extaret, si quo sanari posset appareret, si ipsum remedium in promptu esset, boni civis esse statim ac strenue adhibere vulneri curationem, ne morbus ingravesceret neve remedium, quod in manibus esset, mox aut impar ei fieret aut casu quodam plane eriperetur. Quare, ne praevaricari causae publicae videretur neve populus Romanus suspensus et incertus obscura spe et caeca expectatione per totum fere annum penderet, non dubitare se postulare primum ut de omnibus provinciis senatui libere decernere liceret, deinde ut statim successores mitterentur et Caesari et Pompeio, denique ut utercumque in auctoritate senatus non esset hostis iudicaretur et armis in

ordinem cogeretur.[5] Quae postulationes cum utrique parti aequae honestaeque essent et saluberrimae reipublicae, periculum non esse ne reiicerentur. Pompeium certe pro magna sua aequitate et amore patriae facile iis esse concessurum, praesertim cum, si vere aestimare vellet, negare non posset ratione populari ac turbulenta provincias demandatas esse non Caesari magis quam sibi ipsi.[6]

Induxerat haec Curio, ut Pompeianos de loco quo et aequitate rei et ipsius Curionis confessione superiores se fore speraverant deiiceret. Atque id quidem praeclare assecutus est. Simulatque enim quae postulaverat reiecta sunt, statim ei enata est ampla materia criminandi. Manifestam iam esse rationem consiliorum Pompeii, aliud spe ac specie simulationis eum ostentare, aliud obscure moliri, revera oppugnare et impedire commoda populi, oratione assequi velle ut popularis esse videretur. Sed rempublicam armorum metu liberare rem saluberrimam esse et ita popularem ut non posset obsisti. Quare cum ipse causam publicam sustinere posset, tractari eam a perniciose populari cive et verti in perniciem populi se non esse passurum. Iactabantur haec partim vera partim mixta eoque similia veris. Itaque quamquam Curio ipse aliud obscure moliebatur, aliud

[5] App. bell. civ. II, 28: Κουρίων, οὐχ ὑπισχνεῖσθαι δεῖν, ἔφη, μᾶλλον ἢ αὐτίκα ἀποθέσθαι, οὐδ' ἐξοπλίζειν Καίσαρα τῆς στρατιᾶς πρὶν καὶ αὐτὸν ἰδιωτεῦσαι· οὔτε γὰρ ἐς τὴν ἰδίαν ἔχθραν ἐκείνῳ λυσιτελεῖν, οὔτε Ῥωμαίοις, ὑφ' ἑνὶ τηλικαύτην ἀρχὴν γενέσθαι μᾶλλον, ἢ τὸν ἕτερον αὐτῶν ἔχειν ἐπὶ τὸν ἕτερον, εἴ τι τὴν πόλιν καταβιάζοιτο. Οὐδέν τε ἐπικρύπτων ἔτι ἀφειδῶς ἐς τὸν Πομπήϊον ἐβλασφήμει ὡς τυραννίδος ἐφιέμενον καὶ, εἰ μὴ νῦν σὺν φόβῳ τῷ Καίσαρος ἀποθοῖτο τὴν ἀρχήν, οὔποτε μεθήσοντα. Ἠξίου δὲ, ἂν ἀπειθῶσιν, ἄμφω ψηφίζεσθαι πολεμίους καὶ στρατὸν ἀγείρειν ἐπ' αὐτούς· ᾧ δὴ μάλιστα ἔλαθεν ὑπὸ Καίσαρος ἐωνημένος.

[6] Legis Treboniae tamquam vi perlatae a Curione mentionem factam esse colligo ex his Coelii verbis, quae leguntur ad fam. VIII, 11: *Accipitur Pompeius satis male a Curione et totus eius secundus consulatus exagitatur.* Quae verba quamquam, ut nos quidem censemus, ante initum certamen scripta sunt, tamen convicia, quae mense Aprili in Pompeium congesserat, mense Maio, cum in medium summae rerum discrimen devenisset, Curionem omisisse verisimile non est. Secundum autem Pompeii consulatum in hoc quidem certamine quomodo exagitare potuit nisi criminans illas quas diximus leges?

specie simulationis ostendebat, commoverunt ea verba animos hominum et effecerunt ut Curio omnia integra sustineret, Pompeiani iisdem insidiis quas Caesari paraverant ipsi implicati tenerentur.

Sed ne nimis laetum id parti alteri esset, mox contigit Pompeianis non solum ut ex difficultatibus emergerent, sed etiam ut simulantes se adversarii sententiae non prorsus repugnare ex ipso suo incommodo suam occasionem peterent et Caesari grave damnum inferrent.

Imminebant eo tempore Parthi provinciis Syriae et Ciliciae, proconsules earum provinciarum praesidiis male erant instructi, monuerat Cicero qui Ciliciae praeerat publicis litteris senatum, nisi exercitum tantum quantum ad maximum bellum mittere solerent in eas provincias misissent, summum periculum esse ne amittendae essent omnes provinciae quibus vectigalia populi Romani continerentur. Atque saepe de hac re in senatu erat actum, nihil tamen usque ad id tempus confectum, partim quod qui mitteretur non erat, partim propter controversiam Galliarum.[7]

Hanc occasionem nactus C. Marcellus consul retulit de Parthico bello ut duae legiones in Syriam mitterentur, una a Caesare, altera a Pompeio. Qua in re quid Marcellus sequeretur neminem fugere potuit. Quoniam enim Pompeius post cladem Titurii et Cottae rogatus a Caesare ad detrimentum sarciendum ex suis legionibus unam in Galliam miserat,[8] hanc tamquam ex suo numero dare potuit; quo facto ipse nullam iacturam fecit,

[7] Coelius in ep. ad fam. VIII, 10, quae epistola a. d. XIV Kal. Dec. anni 703 scripta est, haec Ciceroni nuntiat: *De Parthorum transitu nuntii varios sermones excitarunt. Alius enim Pompeium mittendum, alius ab urbe Pompeium non removendum; alius Caesarem cum suo exercitu, alius consules, nemo tamen ex senatus consulto privatos. Consules autem, quia verentur ne illud senatus consultum fiat ut paludati exeant et contumeliose praeter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt, usque eo ut parum diligentes in republica videantur, sed honeste, sive negligentia sive inertia est sive ille quem proposui metus, latet sub hac temperantiae existimatione nolle provinciam.* Cf. praeterea de hac Parthorum expeditione Cic. ad fam. VIII, 14, 6, XV, 1, ad Att. VI, 1.

[8] Caes. b. G. VII, 1.

Caesari duae legiones detractae sunt.[9] Tamen Curio, si rationem institutionemque suam conservare voluit, in mora esse non potuit. Impedire enim quominus pars copiarum illis viris eriperetur omnium minime in eum cadebat qui ut omnibus copiis quam primum ei spoliarentur tanta contentione modo contenderat. Decretum igitur est quod consul voluit. Neque Caesar, quantumvis graviter iacturam militum ferret, senatus auctoritatem aperte contemnere ausus est. Remisit legionem Pompeio et ipse suo nomine alteram, quam in Gallia citeriore habuerat, ex senatus consulto iubet tradi; quae duae legiones in Italia retentae et postea Pompeio traditae sunt.

Quo facto cum Pompeiani simulatae suae facilitatis et moderationis praemium satis amplum consecuti essent, periculum, quod ex concessione Curioni facta impendebat, artificio quodam neque novo neque recondito sine magno negotio aversuros se confidebant. Retulit tandem aliquando consul de provinciis consularibus, idque, cum aliter Curio passurus non esset, ita ut de omnibus provinciis pariter senatui permitteret. Sed verbo tantum ut libere de omnibus provinciis decernerent patribus permissum est; revera quod censerent aperte erat praescriptum. Senatus consultum enim, quod referente M. Marcello proximo anno factum erat, de novem provinciis nominatim sanxerat ut in eas viri praetorii mitterentur. Cui senatus consulto quamquam intercessum erat, eam tamen vim habuit ut constantis senatus consilium videretur esse. Suum autem decretum in re quae suae esset potestatis ipsos patres negligere plane abhorrebat a dignitate disciplinaque maiorum.

Quae cum ita essent, ex toto provinciarum numero quinque tantum quae consulares decernerentur reliquae erant, Syria et

[9] Hirtius b. Gall. VIII, 54: *Fit senatus consultum, ut ad bellum Parthicum legio una a Cn. Pompeio, altera a C. Caesare mitteretur; neque obscure duae legiones uni detrahuntur. Nam Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Caesarem miserat, confectam ex delectu provinciae Caesaris, eam tamquam ex suo numero dedit. Caesar tamen, cum de voluntate minime dubium esset adversariorum suorum, Pompeio legionem remisit et suo nomine quintamdecimam, quam in Gallia citeriore habuerat, ex senatus consulto iubet tradi.* Cf. Appianum b. civ. II, 29 et Dionem XL, 65.

duae Galliae et duae Hispaniae. Ac ne in his quidem eligendi potestas senatui facta est. Quid enim? Alteram Galliam vel alteram Hispaniam decernere quid attinuit? cum neque Caesar neque Pompeius passurus esset et eadem contentione, qua pars, totum posset impetrari. Syriae vero mentionem fieri ne id quidem licuit, cum Curio Caesarem decedere, nisi idem faceret Pompeius, e republica esse constanter negaret. Itaque una modo sententia reliqua erat, ut et Caesari et Pompeio successores mitterentur. Et hanc sententiam consul, ut Curioni cedere videretur, pronuntiavit. Quoniam vero eum non fefellit senatores plerosque omnes in id ut Caesar de republica removeretur ita incumbere ut, si impetrari posset retento Pompeio, id essent electuri, si non posset, ne Pompeio quidem parsuri, subornato qui ut divideretur sententia postularet, primo de Caesaris, deinde de Pompeii provinciis senatum consuluit. Qua re effecit ut de Caesaris provinciis, cum Caesariani concordiae causa adversari non auderent, sine ulla varietate discessio fieret, ubi vero ad alteram sententiae partem ventum est, senatus frequens in alia omnia transiret.

Ita contigit Pompeianis ut rem multum ac diu agitatam quodammodo conficerent, minus quidem illam severe quam speraverant, non tamen omnino dissolute. Nam quamquam Curio senatus consulto statim intercessit, propulsatum tamen erat periculum quod Pompeianis ex ipsorum concessione imminuerat, et intercesserat senatus auctoritas quae cum gravis per se esset, tum plurimum valebat ad existimationem vulgi.

Quamobrem ut inclinatam Caesaris rem in statum pristinum restitueret, Curio non satis habuit intercessisse, sed qua divisa sententia hoc grave vulnus Caesari modo inflictum erat, de eadem coniuncta pro potestate tribunicia retulit et discessionem fecit. Neque fefellit eum spes. Optimates enim desperantes retento Pompeio rempublicam Caesariano metu liberari posse tam frequentes in Curionis sententiam iverunt, ut trecenti et septuaginta assentirentur, viginti duo non amplius in alia omnia discederent. Quam rem cum Pompeiani statim discussissent, sive per tribunos sibi deditos sive alia ratione, nam id quidem,

quod nihil nobis constat, non videtur pro certo esse ponendum, Curio quod voluerat praeclare assecutus est. Primum enim eo quod Pompeianis necessitatem intercedendi senatus decreto imposuerat ex sua invidia deoneraverat aliquid et traiecerat in illos. Deinde perspicue ostenderat senatus auctoritatem illam qua Pompeiani gloriarentur magis iratorum hominum studium esse quam consilium constantis senatus.

Superest iam ut quae de discessionibus a Marcello et Curione factis modo disputavimus quibus auctoribus nitantur paucis indicemus. Sunt autem tria omnino huius rei testimonia veterum: primum Appiani bell. civ. II, 30: ἡ βουλὴ γνώμην ἕκαστον ᾔτει· καὶ ὁ Κλαύδιος πανούργως διήρει καὶ ἐπυνθάνετο αὐτῶν παρὰ μέρος, εἰ δοκεῖ Καίσαρι πέμπειν διαδόχους, καὶ εἰ Πομπήϊον τὴν ἀρχὴν ἀφαιρεῖσθαι. Οἱ δὲ τοῦτο μὲν ἀνένευον οἱ πλείους, Καίσαρι δὲ ἐπεψήφιζον τοὺς διαδόχους. Ἐπανερομένου δὲ τοῦ Κουρίωνος, εἰ ἀμφοτέρους δοκεῖ τὰ ἐν χερσὶν ἀποθέσθαι, δύο μὲν καὶ εἴκοσιν ἀνδράσιν ἀπήρεσκε, τριακόσιοι δὲ καὶ ἑβδομήκοντα ἐς τὸ συμφέρον ἀπὸ τῆς ἔριδος ἐπὶ τὴν τοῦ Κουρίωνος γνώμην ἀπέκλινον. Ὅτε δὴ καὶ ὁ Κλαύδιος τὴν βουλὴν διέλυσε βοῶν· Νικᾶτε δεσπότην ἔχειν Καίσαρα; alterum Plutarchi in vita Pomp. 58: Μαρκέλλου τοῦ ὑπάτου λῃστὴν ἀποκαλοῦντος τὸν Καίσαρα καὶ ψηφίζεσθαι πολέμιον κελεύοντος, εἰ μὴ καταθήσεται τὰ ὅπλα, Κουρίων ὅμως ἴσχυσε μετ' Ἀντωνίου καὶ Πείσωνος ἐξελέγξαι τὴν σύγκλητον. Ἐκέλευσε γὰρ μεταστῆναι τοὺς Καίσαρα μόνον τὰ ὅπλα καταθέσθαι κελεύοντας, Πομπήϊον δὲ ἄρχειν· καὶ μετέστησαν οἱ πλείους. Αὖθις δὲ μεταστῆναι κελεύσαντος ὅσοις ἀμφοτέρους ἀρέσκει τὰ ὅπλα καταθέσθαι καὶ μηδέτερον ἄρχειν, Πομπηΐῳ μὲν εἴκοσι καὶ δύο μόνον, Κουρίωνι δὲ πάντες οἱ λοιποὶ προσέθεντο; tertium Hirtii in commentariis de bello Gall. VIII, 52: *C. Curio, tribunus plebis, cum Caesaris causam dignitatemque defendendam suscepisset, saepe erat senatui pollicitus, si quem timor armorum Caesaris laederet, et quoniam Pompei dominatio atque arma non minimum terrorem foro inferrent, discederet uterque ab armis exercitusque dimitteret: fore eo facto liberam et sui iuris civitatem. Neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit; quod ne fieret, consules amicique Pompei iusserunt atque*

ita rem moderando discesserunt. Magnum hoc testimonium senatus erat universi conveniensque superiori facto.[10] Quorum testimoniorum cum quod altero loco recensuimus neque cum reliquis satis conveniat et Curionis rationibus parum accommodatum sit, non dubitavimus id abiicere et in Appiani Hirtiique auctoritate acquiescere, atque eo magis quo plura documenta summae negligentiae in rebus Caesaris enarrandis Plutarchus dedit. Ita assecuti sumus ut disputationis nostrae eae partes quae approbationis indigent idonea auctoritate iam non careant; eae vero quas Appianus non attigit ex toto statu rerum ita sunt perspicuae, ut eas velle approbare et firmare prorsus nihil attineat.

Posteaquam Curio senatus consulto a Marcello facto intercessit, consul quam ille instituerat relationem ad irritum redegit, res eo perducta est ut intercessione non remissa in senatu quidem de hac re amplius agi non posset. Relatum igitur et actum est de intercessione. Qua de re in tres omnino partes sententiae variare potuerunt; decerni enim potuit aut acquiescendum esse in intercessione, aut ut consules de remittenda intercessione cum tribuno agerent, aut placere senatus auctoritatem ab omnibus magistratibus defendi; si qua vis esset facta, senatum existimaturum eius opera factum esse qui senatus consulto intercessisset.[11] Sed non omnes hae sententiae eo tempore dictae sunt. Coelius enim, qui unus veterum huius actionis memoriam nobis prodidit, in ep. ad fam. VIII 13 haec scribit: *Voles, Cicero, Curionem nostrum lautum intercessionis de provinciis exitum habuisse. Nam cum de intercessione referretur, quae relatio fiebat ex senatus consulto,*[12] *primaque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum tribunis plebis censebat, frequens senatus in alia omnia iit. Stomachus*[13]

[10] De hoc loco Hirtii, quem foede corruptum esse nemo non videt, bene disputavit Nipperdeius in quaestionibus Caesarianis p. 124.

[11] Cic. ad Att. IV, 2 idoneum exemplum huius rei praebet.

[12] Senatusconsultum significat, quod proximo anno factum erat referente M. Marcello consule.

[13] Pro eo quod est *stomacho est Magnus*, quod legitur in editione Orelliana, restitui ex codice Mediceo *stomachus est magnus*; Pompeius enim

est magnus nunc ita languenti, ut vix id quod sibi placeat reperiat. Transierant illuc, ut ratio esset eius habenda, qui neque exercitum neque provincias traderet. Quibus ex verbis facile colligitur tertiam sententiam neque pronuntiatam esse a consule neque omnino dictam ab ullo senatore. Primum enim, si tam gravis sententia, ad quam nisi maxime necessario reipublicae tempore descensum non est, tum in medium prolata esset, Coelius silentio eam non praeteriisset. Deinde plusquamperfecto *transierant illuc* recte uti non potuit, nisi duae tantum sententiae dictae erant eaeque ita inter se oppositae ut reiecta altera altera esset comprobata. Quae ratio intercessit Marcelli sententiae cum ea quam primo loco, non cum ea quam tertio loco attulimus. Itaque Marcelli sententia reiecta, cum eo ipso intercessio rata habita esset, nullum senatus consultum de hac re factum videtur esse.[14] Quo facto cum nihil novatum esset et Caesar eodem iure esset quo antea fuerat, Coelius irridens timiditatem et ignaviam optimatium recte potuit queri decrevisse senatum ut Caesaris ratio haberetur etiamsi exercitum non dimisisset. Sic neque remissa ulla re neque impetrata aeque ac venerant omnium incertae quae inter se dimicaverant factiones discesserunt.

VIII. PRIORE PARTE ANNI DCCIV ACTA QUEMADMODUM TEMPORIBUS DIVISA SINT.

Iam in eum locum disputatio nostra deducta est ut, nisi conveniat quando quidque eorum de quibus disputavimus gestum sit, satis tuto procedere non possit. Sunt autem tria potissimum

hoc loco commemorari non potuit, nisi patribus auctor fuerat Marcelli sententiae repudiandae, id quod tantum abfuit ut Coelius crederet ut paulo infra diceret Pompeium quae in senatu acta essent nondum comperisse.

[14] Cic. ad Att. VII, 7 *Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt? numquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi coeptum esset, quam sententiam senatus sequi noluit; ex quo factum est ut Caesari non succederetur.*

de quibus in hoc genere quaeri possit, morbus Pompeii, decretum de duabus legionibus, relatio de intercessione.

Ac primum quidem de morbo Pompeii cum omnes fere qui huius aetatis memoriam prodiderunt scriptores mentionem faciant,[1] duo tantum sunt qui temporis aliquam significationem addant, Velleius et Appianus. Quorum prior neque adiumenti quicquam nobis affert neque impedimenti. Nam quod tradit ante biennium quam ad arma itum sit Pompeium gravissima valetudine temptatum esse, in eo aperte errat. Quoniam enim in epistolis Ciceronis et Coelii et quae Pompeius anno 703 egerit et quando quidquē egerit accuratissime notatum reperimus, id ipsum quod de illo morbo in iis mentio non fit pro documento nobis esse potest bona valetudine illo anno Pompeium usum esse.

Velleio igitur omisso si ad Appianum transimus, quo tempore Pompeius aegrotaverit nominatim ille quidem non tradit, quoniam autem in enarrandis rebus gestis temporis ordinem diligenter servat, quid ipse de hac re statuerit facile est ad cognoscendum. Narravit enim in libri II capite 28 de bellis civilibus, quo tempore C. Marcellus consul de provinciis in senatu agere coepisset et Curio tr. pl. moram attulisset, Pompeium morbo in Campania retentum litteras ad senatum misisse quibus Caesari invidiam faceret, postea in urbem reversum antequam illae actiones ad finem perductae essent in eandem sententiam in senatu plura dixisse.[2] Apparet igitur, cum quando de provinciis actum sit constet, quid de tempore illius morbi Appianus censeat. Sed ea est Appiani sententia, in qua acquiescere nullo modo possimus; neque enim quando Pompeius in morbum inciderit omittere per instituti nostri rationem nobis licet, neque quae de reditu Pompeii ille statuit cum iis quae supra disputavimus satis bene videntur convenire. Suppleamus igitur quod deest et reiiciamus quae nostrae causae videntur obstare.

Atque illud quidem quod deest peropportune nobis suppeditant Cicero et Coelius. Ille enim, qui ad Att. VI, 3 scribit:

[1] Dio XLI, 6, Plut. Pomp. 57, Cic. Tusc. I, 35, ad Att. VIII, 16, IX, 5, App. b. civ. II, 28, Vell. II, 48.

[2] Vide bell. civ. II, 28 et 29.

Huc odiosa afferebantur de Curione, de Paullo, non quo ullum periculum videam stante Pompeio vel etiam sedente; valeat modo: sed mehercule Curionis et Paulli, meorum familiarium, vicem doleo, perspicue ostendit eo tempore de morbo periculoso Pompeii se nondum audivisse. Scripta autem est illa epistola extremo mense Maio, nam quae proxime antecedit data est initio eiusdem mensis inter Kalendas et Nonas,[3] quae sequitur medio Iunio, ante a. d. X Kal. Quintiles.[4] Quod si quaerimus usque ad quod tempus Cicero extremo mense Maio acta urbana cognita habuerit, ipse ad Att. VI, 2 scripsit: *Habebam acta urbana usque ad Nonas Martias,* et ad fam. II, 12: *Sollicitus equidem eram de rebus urbanis; ita tumultuosae contiones, ita molestae Quinquatrus afferebantur; nam citeriora nondum audiebamus.* Iam illam epistolam inter Kal. et Nonas Maias scriptam esse modo ostendimus, hanc vero assignandam esse initio mensis Iunii ex his eiusdem epistolae verbis: *quare etsi, cum tu haec leges, ego iam annuum munus confecero, tamen obviae mihi velim sint tuae litterae,* facile colligemus, si rationem habuerimus Ciceronem a. d. III Kal. Sext.[5] annuum tempus emeritum habuisse et litteras ex Cilicia Romam duorum fere mensium spatio afferri. Quae cum ita sint, apparet Ciceronem quo tempore epistolam ad Att. VI, 3 scripserit acta urbana habuisse usque ad Nonas Martias, summum ad a. d. XIV Kal. Apriles quo die Quinquatrus celebrabantur, ideoque Pompeium priore parte mensis Martii in morbum nondum fuisse implicatum. Adde huc quae Coelius ad fam. VIII, 11 scribit: *quod ad rempublicam attinet, in unam causam omnis contentio coniecta est, de provinciis; in quam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar Id.*

[3] Scriptam esse ep. ad Att. VI, 2 eo quo dixi tempore cognosci potest ex his eiusdem epistolae verbis: *Atque hoc foro, quod egi ex Id. Febr. Laodiceae ad Kal. Mai., mirabilia quaedam effecimus* et ex his quae sequuntur, *Nonis Mai. in Ciliciam cogitabam.*

[4] Epistolam ad Att. VI, 4 medio mensi Iunio assignavi, quod Cicero in eadem scribit se de Coelio novo suo quaestore nondum audivisse. Nam ad fam. II, 19, in epistola ad ipsum Coelium data, scribit se ab eo missas litteras a. d. X. Kal. Quint. accepisse.

[5] Cic. ad Att. VI, 2.

Novembr. decedat; iam intellexeris etiam mense Aprili Pompeium Romae adfuisse; de supplicationibus enim Ciceronis, quas decretas esse Curio hac epistola nuntiat, actum est eodem illo mense. Itaque verisimile videtur esse Pompeium, sive ut Curionis pertinaciam frangeret sive alia de causa, cum ceteri principes ut se ex forensi strepitu reficerent rus concessissent, paulisper Romae remansisse, deinde in Campaniam profectum in morbum incidisse.

Quodsi haec quae de initio morbi disputavimus recte se habent, de fine quoque coniecturam satis probabilem facere licet. Nam et ipse morbus longinquior videtur fuisse quam qui viginti vel triginta dierum spatio penitus evelli posset, et tot tantaeque gratulationes a municipiis factae sunt, ut reditum hominis ab eiusmodi rebus minime abhorrentis haud paullum videantur retardasse. Huc accedit quod Pompeius iis diebus, quibus de Curionis intercessione agebatur, non modo in senatu sed ne Romae quidem fuisse videtur[6] et quod parum probabile est antea reversum tum denuo discessisse, cum de re maiore quam quanta ea erat consultatio incidere vix posset. Quare cum de intercessione, ut infra ostendemus, mense Iunio actum sit, existimamus Pompeium ante Kal. Quint. Romam non rediisse, Appianum autem in errorem adductum esse eo quod quas conditiones a Pompeio tum latas esse tradit easdem ille, ut Caesarem, non se discordias quaerere omnibus probaret, etiam post intercessionem factam iactare non destiterat.

Sequitur ut quo tempore senatus consultum de duabus legionibus factum sit investigemus. Quam rem paucis absolvere licet. Nam factum esse decretum antequam Curio intercesserit, de hac quidem re consentiunt omnes rerum scriptores, qui commemorationi rei temporis aliquam significationem addunt; accuratius autem tempus definiri neque potest neque ad ea quae quaerimus magnopere refert. Tradidit autem Appianus bell. civ. II, 29 id

[6] Cic. ad fam. VIII, 13: *Quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscat, quidnam reipublicae futurum sit, si . . . aut non curet, vos senes dirites videritis.* Quae verba quamquam aut manca aut corrupta sunt, tamen quod volumus ostendunt, Pompeium eo tempore Romae non adfuisse.

ipsum quod diximus his verbis: Ὁ Κουρίων οὐ πείθων διέλυε τὴν βουλὴν ἐπὶ ἀτελέσι πᾶσι· δύναται δὲ ταῦθ' ὁ δήμαρχος. — — Διαλυόμενοι δὲ ὅμως τοσόνδε μόνον ἐψηφίσαντο, Καίσαρα καὶ Πομπήϊον τέλος ἔχοντα στρατιωτῶν ἐς Συρίαν ἑκάτερον πέμψαι. Neque enim dubitari potest quin his verbis intercessio Curionis significetur, cuius praeterea mentionem Appianus facit nullam. Deinde narravit Plutarchus in vita Pompeii c. 57 ademptas esse Caesari legiones antequam Pompeius Neapoli convaluisset et Dio XL, 64 et 65 fuisse Romae milites Caesarianos quo tempore Marcellus consul custodiam reipublicae Pompeio demandavisset. Quorum utrumque in nostram sententiam bene convenire non est quod pluribus demonstrem. Denique Cicero in Cilicia de illis legionibus senatum decrevisse iam a. d. XVI Kal. Sextil. cognitum habuit;[7] actum vero esse de intercessione, ut infra docebimus, multo postea certior factus est. Apparet igitur antecessisse decretum de legionibus intercessioni.

Restat de ipso intercessionis tempore quaestio gravissima. Qua de re cum difficile sit plus intelligere quam quantum ex monumentis suspicari licet, maximas in angustias incuria et negligentia veterum scriptorum adducimur; nam quo tempore tanta res acta sit ne levissimo quidem indicio significant. Est tamen remedium huius incommodi. Quoniam enim in more Romanorum erat ut de intercessione ad senatum referretur statim postquam intercessum esset,[8] si quando actum sit de Curionis intercessione constabit, ne id quidem magno opere dubitari poterit quo tempore ille intercesserit. Illud vero quamquam et ipsum ab antiquis scriptoribus praetermissum est, cognosci tamen aliquantum potest ex eo quod Coelius in eadem epistola,[9] in qua quid de intercessione

[7] Caninius Sallustius proquaestor Syriae per litteras, quae Ciceroni Tarsi a. d. XVI Kal. Sextiles redditae sunt, quaesivit ex eo quid de legionibus existimaret quae in Syriam decretae essent. Cf. Cic. ad fam. II, 17.

[8] Cic. ad Att. IV, 2: *Cum fieret senatus consultum in sententiam Marcellini, omnibus praeter unum assentientibus Serranus intercessit. De intercessione statim ambo consules referre coeperunt.* Caesar b. civ. I, 2: *Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribunorum.*

[9] Cic. ad fam. VIII, 13.

actum esset narravit, praeterea duas res commemoravit. Adeo enim studiose Coelius quicquid novi Romae accidit cum amico communicat, ut verisimile esse videatur quae una epistola ille comprehendat eodem fere tempore ea facta esse. Tota igitur quaestio in eo vertitur ut inveniamus quo tempore Hortensius mortuus sit et Tullia, Ciceronis filia, Dolabellae desponsa; nam hae sunt eae res quas praeterea in illa epistola Coelius commemoravit.

Atque novae affinitatis prima mentio a Coelio facta est in epistola ad fam. VIII, 6, quam, ubi de Curionis transitu ad plebem egimus, extremo mense Februario scriptam esse ostendimus. Qua in epistola nuntiat Coelius Ciceroni quo tempore Dolabella Appium maiestatis reum fecerit uxorem ab eo discessisse; deinde non obscure significat Ciceronem iam antea de Tullia Dolabellae collocanda cogitasse et discedentem in provinciam amicis hac de re mandasse; denique maiorem in modum eum admonet ne, si res non displiceat, de sua voluntate quicquam ostendat et expectet quemadmodum Appius ex causa exeat; invidiosum enim fore, si emanaverit socerum eum factum esse accusatoris. Exinde res raptim acta est, si Ciceroni credimus, insciente ipso, a Terentia et Tullia, quae adolescentis obsequio et comitate valde delectabantur.[10]

Tamen extracta est per complures menses. Primum enim Appius Claudius in epistola ad fam. III, 11, qua Ciceronem de absolutione maiestatis certiorem facit, cui epistolae adscriptus est dies Nonarum Aprilium, affinitatis invidiosae mentionem non facit; quam non omisisset, si sponsalia iam essent facta. Deinde cum de supplicationibus Ciceronis in senatu ageretur, quod medio mense Aprili factum esse supra p. 57 docuimus, in defendenda et augenda Ciceronis dignitate tanto studio Appius versatus est, ut Cicero in epistola ad fam. III, 13 haec scribere pos-

[10] Cic. ad Att. VI, 6: *Ego dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer. Id quidem, inquis, dii approbent! Ita velim teque ita cupere certo scio. Sed crede mihi, nihil minus putaram ego, qui de Ti. Nerone qui mecum egerat certos homines ad mulieres miseram, qui Romam venerunt factis sponsalibus. Sed hoc spero melius. Mulieres quidem valde intelligo delectari obsequio et comitate adolescentis.*

set: *Quasi divinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum, sic, cum de tuis rebus gestis agebatur, inserviebam honori tuo. Dicam tamen vere: plus quam acceperas reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit se non solum auctoritate orationis, sententia tua, quibus ego a tali viro contentus eram, sed etiam opera, consilio, domum veniendo, conveniendis meis, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse.* Qua ex re satis probabiliter confici potest etiam supplicationes illas nuptiis tempore antecessisse. Quod idem patet ex tempore, quo de utraque re Cicero certior factus est. Supplicationes enim decretas esse iam audiverat, cum epistolam ad Atticum VI, 7 scripsit, quo tempore ex Cilicia nondum decesserat; de nuptiis vero, ut ipse ad fam. III, 12 significat, primum audivit III Non. Sext., cum ad Sidam navi accederet, neque quicquam de hac re cum Attico communicavit antequam Rhodum pervenit.[11] Denique ad rem perspiciendam multum facit quod supra p. 58 ostendimus, nuntiata esse quae Romae facta essent in Ciliciam sexagesimo fere die, interdum citius, raro nec nisi hieme aut impedita navigatione tardius. Quoniam enim verisimillimum est nuntium de nuptiis filiae, quippe qua re nulla magis ad Ciceronem pertinuerit, quam celerrime ad eum perlatum esse, ex eo quod III Nonas Sextiles primum de iis comperit colligi potest ne ante Iunium quidem mensem Tulliam Dolabellae collocatam esse.

At est quod nostrae argumentationi opponi possit. Cicero enim ad fam. III, 13, qua epistola Appio propter operam in supplicationibus decernendis enixe navatam gratias agit, haec quoque verba scripsit: *Vellem ita fortuna tulisset, ut quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere posses; quod tamen ipsum nescio qua permotus animi divinatione non despero. Sed hoc nihil ad te; nostrum est onus.* Quae verba cum ad Dolabellam pertinere videantur, in eam sententiam nos adducere possunt, ut eodem fere tempore, quo decretum de supplicationibus, spon-

[11] Cic. ad Att. VI, 6. Hanc epistolam post septimam eiusdem libri scriptam esse commemoratio mortis Hortensii evincit. Cicero enim in Bruto c. 1 scribit: *cum e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem.*

salia facta esse putemus. At non necesse est Ciceronis verba ad Dolabellam ipsum referamus. Agitata enim erat haec res iam inde ex mense Februario, percrebruerat Dolabellae loquacitate[12] mulierumque nimia cupiditate et multos iniquos sermones excitaverat, expostulaverat hoc nomine Appius ipse cum Cicerone multo priusquam res confecta est.[13] Numquid causae igitur est quin illa verba scripta esse putemus ut Terentia et Tullia et ei Ciceronis amici, qui ad hanc rem adiutores mulieribus se praebuerant, excusarentur et si fieri posset cum Appio reconciliarentur? An tam leviter et quasi praetereuntem putas Ciceronem hanc rem, in qua iure Appius offendit, quam ipse quomodo defenderet postquam transacta est misere se cruciavit,[14] commemoraturum fuisse, nisi excusare potuisset temptatam illam quidem esse, non confectam? Mihi quidem magis consentaneum videtur esse prudentiae Ciceronis, si de ipsa re negare non licuit, aut

[12] Coelius ad fam. VIII, 6 de hac ipsa re scripsit: *Unum illud monere te possum: si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas, et expectes quemadmodum exeat ex hac causa; denique invidiosum tibi sit, si emanarit; porro si significatio ulla intercesserit, clarius quam deceat aut expediat fiat. Neque ille tacere eam rem poterit, quae suae spei tam opportuna acciderit quaeque in negotio conficiendo tanto illustrior erit; cum praesertim is sit, qui, si perniciosum sciret esse loqui de hac re, vix tamen se contineret.*

[13] Cicero ad fam. III, 10 de Dolabellae accusatione haec ad Appium scripsit: *Illud vero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitis iudiciis summa contentione defendi, ut tuis inimicitiis suscipiendis oblivisceretur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum. — Cuius sermo stultus et puerilis erat iam ante ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus, de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem citius cum eo, qui tuas inimicitias suscepisset, veterem coniunctionem diremissem quam novam conciliassem.*

[14]) Cf. Cic. ad fam. III, 12, quae epistola tota fere in excusatione versatur. Ceterum hanc epistolam post tertiam decimam eiusdem libri scriptam esse cum ex iis cognoscitur quae usque adhuc disputata sunt, tum ex eo quod et undecimae et tertiae decimae Cicero addidit: *cum haec scribebam, censorem iam te esse sperabam*, huic non item, id quod ostendit Appium tum censorem iam fuisse. Cui sententiae non repugnat quod Appius tum causam ambitus dixisse traditur. Nam censores, cum ita crearentur ut statim magistratum inirent, etiam in magistratu de ambitu postulari poterant. Cuius rei exemplum est M. Antonius orator, quem in censura reum eiusdem criminis a M. Duronio quodam factum esse Cicero de orat. II, 68 commemorat.

iam tum quae ad excusationem pertinerent omnia expromere aut nullam omnino rei mentionem facere.

Haec habui quibus demonstrarem Tulliam a Dolabella in matrimonium ductam esse ineunte mense Iunio. Quae si recte sunt disputata, quae secundo loco nobis proposita est quaestio de morte Hortensii facilis est et expedita. Primum enim Coelius eadem epistola, qua filiae nuptias gratulatus est, de morte Hortensii Ciceronem certiorem fecit; deinde de illa re ad Ciceronem allatum est, cum de Cilicia decessurus esset, de hac cum Rhodum iam pervenisset; denique Cicero in Bruto c. 94 haec scripsit: *Hortensius quarto et sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus una tecum, Brute, socerum tuum defendit Appium*, quae verba ad iudicium maiestatis propter id quod supra disputatum est referri nequeunt; ambitus autem absolutus est Appius, postquam Dolabella cum Cicerone affinitate coniunctus est, sed brevi tempore intercecto.[15] Quae omnia si animo colligimus, apparere videtur clarum illum oratorem diem supremum obiisse medio fere mense Iunio.

Abstulerunt me velut de spatio privatae res immixtae publicis, non quod ipsas operae pretium esset perscribere, sed quia nisi ex his quo tempore quidque illorum factum esset cognosci nullo modo poterat. Atque satis amplum fructum ex hac quaestione cepimus. Apparet enim nunc, id quod ad totam causam illustrandam multum valet, extractas esse consulares actiones de provinciis usque ad mensem Iunium et relatum esse de intercessione eodem illo mense. Qua in re ne quis tarditatem actionis admiretur, commetiatur cum tempore negotium et videat potueritne in breviore tempore transigi tanta negotii magnitudo.

[15] Cic. ad Att. VI, 6 his verbis: *Ego dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer*, ostendit Dolabellam Ciceronis generum factum esse, antequam Appius absolutus sit. Breve autem tempus inter utramque rem intercessisse apparet ex ep. ad fam. III, 12, quae gratulationem absolutionis et excusationem affinitatis coniungit.

IX. DE COMITIIS ANNI DCCIV.

Ad institutum nostrum si revertimur, proximum est ut quaeramus cur patres in Marcelli sententiam transire noluerint. Qua de re est quod miremur. Quid enim? Qui patrum cum divitiis affluerent totos se voluptatibus tradiderant, qui dummodo otium haberent et pacem cetera nihil curabant, qui nisi gravissimo periculo imminente aut prope iam desperata salute a quovis forti consilio mirum quantum abhorrebant, num eos putemus offendisse in Marcelli sententia? At multum ea valebat ad differendum certamen ac procrastinandum, qua re nullam studiosius in sententiis ferendis isti homines sequebantur. Qui vero optimatium factioni addicti erant, qui id unum maxime expetebant ut ad pristinae auctoritatis spem senatus revirescceret, quas tandem causas iis fuisse dicamus cur cum tribuno agere nollent? Metuisse eos ne conditiones ad irritum caderent? At si agi coeptum esset, neque Curio intercessionem sustinere potuisset[1] neque Pompeius recusare quominus ad aequas conditiones descenderet, quippe quorum uterque in actionibus suis famam moderationis et plausum popularem cum maxime quaereret. An impedire eos voluisse dicamus ne Pompeius de iure suo quicquam cederet? Ne id quidem licet. Nam quamquam capitali odio a Caesare dissidebant et communi metu inimici cum Pompeio erant coniuncti, magno opere tamen metuebant ne ad unum Pompeium omnia deferrentur. Neque enim sperare potuerunt, qui ne in incertis quidem rebus, cum ipsius et patrum periculum coniunctum esset, patribus auctoribus uti vellet, eum in victoria, quae etiam modestos homines feroces impotentesque redderet, desideraturum esse sententias optimatium.

Quae cum ita sint, cum in ipsis patribus causam eius rei non constitisse appareat, nihil est reliquum nisi ut Pompeium Marcelli sententiae clam repugnavisse statuamus; quo facto rei utilitas extincta videtur esse hominum suspicione, quod Pompeio se gratificari putabant.

[1] Vide Cic. ad Att. VII, 7 et quae nos supra de hac re disputavimus.

Atque erat cur Pompeius causae suae metueret. Quid enim? si discessum esset in Marcelli sententiam, si actum esset de intercessione ex senatus consulto, nonne tota civitas erecta fuisset ad spem libertatis recuperandae? Quid? optimates, qui cupidi erant de commodis Pompeii aliquid detrahendi,[2] nonne interfuturi, nonne praefuturi erant toti negotio? Quid? quod Curio sive ne quam expectationem sui maximam commoverat deciperet sive quod machinationibus Pompeii sine ulla sua opera rem discussum iri sperabat, tanto compositionis studio se teneri simulabat, ut prae communi commodo pro nihilo habere videretur dignitatem Pompeii et ipsam Caesaris salutem? Quid igitur? cum talis esset rerum status, nonne periculum erat ne in conditionibus ferendis maior ratio haberetur utilitatis publicae quam potentiae et dignitatis Pompeii? At credo hoc periculum non commovit hominem odio occaecatum; sic enim animo paratus erat, ut aequi boni faciens quod damnum ipsi inferretur, dummodo Caesarem perderet, quaslibet conditiones haud gravate acciperet. Quasi qui viribus superior vel est vel esse sibi videtur ad eas conditiones descendere sustineat, quae quamvis licet adversarium premant, tamen, ne qua iusta querella illi maneat, necessario ipsum quoque cogant in aliqua certe re de suo iure decedere. Certum igitur si erat Pompeio, ut erat, concedere de victoria, quam spe iam devoraverat, neque Caesari neque optimatibus neque cuiquam, multo ei praestabat impedire potius quominus conditiones proponerentur quam repudiare propositas; nisi forte prudentis esse existimas, quae res cuniculis facile oppugnetur ac nullo fere periculo, eandem aperte petere multis contentionibus et cum maxima iactura existimationis.

Declinaverat Pompeius de statu, abiecerat consilium quod tanta calliditate et constantia institerat, intellexerat nisi magno aliquo incommodo suo Caesarem ut ante tempus decederet cogi non posse. Nihil igitur reliquum ei erat, nisi ut novam quandam viam reperiret qua ad id quod tanto studio expetebat, si non

[2] Pompeium optimatibus propter superbiam et dominandi cupiditatem suspectum et invisum fuisse cum ex multis aliis locis cognoscere licet, tum maxime ex Cic. ad fam. IV, 9.

citius, tutius tamen perveniret. Quae via qualis fuerit si investigamus, in scopuloso difficilique loco versamur. Tanta enim est scriptorum qui huius aetatis memoriam prodiderunt rei gravissimae incuria, ut ne id quidem, deflexisse Pompeium de cursu suo, satis perspicue indicent, nedum accurate significent quid novi ille tum excogitaverit. Quare cum verum ipsum et quod omnibus facile probetur in obscuro sit, cum nullis ne levissimis quidem auctoritatibus haec causa confirmari possit, praeclare actum putabimus, si veri quandam similitudinem consecuti erimus, id amplexi quod et moribus et utilitati Pompeii quam maxime accommodatum sit et cum iis rebus quae postea gestae sunt optime conveniat. Diligenter autem re examinata et quantum poteramus penitus perspecta, haec nobis videbatur fuisse Pompeianorum consiliorum summa: ut hoc quidem anno res in controversiam vocata integra relinqueretur, ut proximis comitiis, Caesare eiusque amicis de honoribus deiectis, ut quisque suae causae maxime faveret ita potissimum crearetur, ut initio proximi anni a novis magistratibus certamen renovaretur et per aequa per iniqua ad finem perduceretur.

Quae consilia perficere potuisse Pompeium facile est ad intelligendum. Primum enim patrum, penes quos erat totum rei arbitrium, plerosque omnes devinctos sibi tenebat, multos gratia et quasi consuetudine, divites ignavia ipsorum et cura rerum privatarum, quae semper plurimum consiliis publicis offecerunt, optimates denique metu ne, si ipse communem causam prodidisset omnino nulla medicina aegrotae ac prope desperatae reipublicae reperiretur. Deinde ne comitiorum quidem ratio incerta erat; adeo enim corrupta atque infirma plebes erat, ut fere semper opibus et minis praesentis absentis gratia obrueretur. Denique status rei is erat, ut, sicut testudo, ubi collecta in suum tegimen est, tuta ad omnes ictus est, ubi exserit partes aliquas, quamcumque nudavit obnoxiam atque infirmam habet, haud dissimiliter eorum qui suo statu contentus defendisse eum satis habuit, alterius impetum facile reprimeret, qui meliorem quaerens aliquid novavit, latus adversario praeberet nec nisi gravi aliquo vulnere inflictus discederet.

At vero quae commoda inerant in nova quam Pompeius inierat ratione? Datum erat Caesari lege consulari Pompeii et Crassi ut in Gallia cum imperio versaretur usque ad Kal. Martias anni 705. Additum erat deinde lege decem tribunorum ut extremo imperii anno absenti ei consulatum petere liceret. Itaque, si Caesar anno 704 postulavit ut exercitu non dimisso petere liceret, sive ad legum sententiam patres spectabant sive ex scriptione quae in litteris erat eas interpretari malebant, illius ius erat certum ac perspicuum. Videsne igitur Pompeium, si hoc anno Caesaris postulationibus resistere perseveravisset, pugnam initurum fuisse quam aequam sustinere nullo modo posset? Fac iam transisse illum annum, controversiam non esse diremptam, repulsam tulisse Caesarem; repente facta est commutatio gravissima. Petitionis enim rationem, quae certa modo fuerat Caesari et explorata, dubiam iam habuit atque impeditam. An expedire institutae petitionis exitum potuit, nisi antea ut imperium prorogaretur perfecerat? Certe non potuit. Prorogationem vero qua lege, quo iure, qua spe impetrandi postularet? Queri potuit ereptum sibi esse populi beneficium, aequum esse id restitui, restitui nullo modo posse, si ante initum consulatum imperium deponere cogeretur. Verum id erat recedere a verbis legum et uti aequitate, quod defensionis genus facile illud quidem est et promptum apud iudices aequos qui studio et ira vacui ad veritatem legitimum ius exigunt, tum vero erat invalidum ac prope nullum, cum ii iudicarent quorum alii praeoccupati erant criminibus Pompeii, alii et animis et rerum natura a Caesare disiuncti, omnes sic animo parati ut, si res posceret et tuto facere liceret, non modo aequitatem omnem abiicerent sed ipso communi et quotidiano iure Caesarem privarent.[3]

[3] Quam inique optimates de postulato Caesaris iudicaverint, bene cognosci potest ex his Ciceronis verbis, quae leguntur in ep. ad Att. VII, 9: *De reliquis quid est deterrimum? Concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissime postulat. Nam quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et per factionem datos. Praeteriit tempus, non legis, sed libidinis tuae: fac tamen legis; ut succedatur decernitur: impedis et ais, habe mei rationem. Habe tu nostrum. Exercitum tu habeas diutius quam populus iussit, invito senatu? Depugnes*

His expositis patere arbitror consilium illud tutum fuisse vel incepto vel eventu, aptum consentaneumque tempori, id denique quod magnum et apertum commodum praeberet. Iam cum idem Pompeii ingenio tardo, parum efficaci, a fortibus consiliis abhorrenti valde accommodatum esset, non sine idonea ratione suspicari nobis videmur id ipsum in ceteris eius anni actionibus illi fuisse propositum. Videamus igitur num quae postea gesta sunt in nostram sententiam conveniant.

Occurrunt primum comitia. Quorum memoria quamquam propter scriptorum silentium non satis explicata est, id tamen constat, non solum Caesaris rationem nullam esse habitam, sed etiam Servium Galbam, qui familiaritate et consuetudine legationis illi coniunctus erat, honore deiectum esse, id quod, cum multo plus gratia suffragiisque ille valeret competitore, effici non potuerat nisi consulis qui comitia habuit professione, etiamsi Galba consul factus esset, tamen se eum non renuntiaturum.[4] Creati sunt consules L. Lentulus et C. Marcellus, qui palam prae se ferebant se omnem honorem et dignitatem Caesaris spoliaturos, ac ne minorum quidem magistratuum qui tum creati sunt, quamquam nonnulli postea ad Caesaris partes transfugerunt, praeter M. Antonium et Q. Cassium Longinum tribunos plebis quisquam repertus est qui in ipso certaminis ardore Caesaris causam aperte suscipere auderet.[5]

oportet, nisi concedis. Cum bona quidem spe, ut ait idem, vel vincendi vel in libertate moriendi.

[4] Consules, si cuius petitioni leges obstare videbantur, recusare potuisse ne nomen eius acciperent, cum alii multi loci veterum docent, tum Liv. III, 21, Velleius II, 92, Val. Max. III, 8, 3. Quid recusationi suae tum praetenderint memoriae proditum non est. De comitiis consularibus huius anni cf. Hirtium b. Gall. VIII, 50.

[5] Falso nuntiatum est Ciceroni (ad Att. VI, 8), cum Caesare praetores designatos, Cassium tribunum plebis, Lentulum consulem facere. Nam Lentulum acerrimum Caesaris adversarium fuisse constat; praetorum autem ante bellum exortum unus L. Roscius ac ne is quidem fortiter pro Caesare loqui ausus est, post Rubiconis transitum omnes cum Pompeio urbem reliquerunt (cf. de L. Torquato ad Att. VII, 12, IX, 8, de C. Sosio et P. Rutilio Lupo ib. IX, 1, de C. Coponio ib. VIII, 12a, de Roscio ib. VIII, 12, de Allieno solo non constat). Transierunt autem postea in Caesaris partes quattuor, M. Aemilius Lepidus, L. Roscius, C. Allienus, C. Sosius.

Assecutus igitur est Pompeius hoc comitiorum eventu primum ut adversarius hoc anno populi beneficio uti non posset, deinde ut de ipso eius iure aliquantum videretur esse detractum, denique ut magna esset spes fore ut adiutus voluntate et opibus magistratuum prope omnium initio anni proximi ad exitum consilii sui facile perveniret. Magna profecto commoda et quibus maiora, ut tum quidem status rerum erat, impetrari vix possent.

Quo magis est mirandum quid sit quod Caesar, homo armis opibus potentia egregie munitus, artifex iam tot annorum usu tractandi animos hominum in turbisque civilibus unus omnium maxime exercitatus, ea denique animi magnitudine et sollertia ut nulli periculo animum submitteret neque umquam haesitatione in rebus suscipiendis ullam opportunitatem vincendi adversariis daret, quod ille igitur non modo non praeverterit sed ne conatus quidem sit praevertere inimicorum consilia, cum praesertim suppeteret malo remedium, rarum illud quidem et acre, rei tamen sufficiens neque plane inusitatum. Hoc igitur remedio, tribunicia dico intercessione, cur non subvenit saluti suae?

Potuit dupliciter, aut ut rem ad interregnum adduceret aut ut, si intercessio neglecta et tribunus ab adversariis in ordinem coactus esset, exercitum adduceret et armis contenderet.[6] At

[6] Ad has res penitus intelligendas multum facit Ciceronis epistola ad Att. VII, 9, quamquam ad petitionem sequentis anni pertinet; de petitionis enim ratione nihil est mutatum. Sunt autem verba epistolae, quae quidem huc pertineant, haec: *Hoc* διευκρινήσεις πρόβλημα *sane* πολιτικόν: *cum sit necesse aut haberi Caesaris rationem, illo exercitum vel per senatum vel per tribunos plebis obtinente, aut persuaderi Caesari, ut tradat provinciam atque exercitum et ita consul fiat; aut, si id non persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente atque obtinente provinciam; aut, si per tribunos plebis non patiatur, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum; aut si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum aut statim nobis minus paratis aut tum, cum comitiis, amicis eius postulantibus ut e lege ratio habeatur, impetratum non sit; ire autem ad arma aut hanc unam ob causam, quod ratio non habeatur, aut addita causa, si forte tribunus plebis senatum impediens aut populum incitans notatus aut senatus consulto circumscriptus aut sublatus aut expulsus sit dicensve se expulsum ad illum confugerit; suscepto autem bello aut tenenda sit urbs aut ea relicta ille commeatu et reliquis copiis intercludendus; quod horum malorum, quorum aliquod certe subeundum est, minimum putes.*

illam rationem inire non licebat quin res urbanae prorsus in Pompeii arbitrium et potestatem concederent. Initium autem facere armorum eam ob causam, quod ratio e lege habita non esset, res erat difficillima et multas habebat cautiones. Erant sane causae quae in hanc partem Caesarem impellerent. Deducta erat res eo ut nisi armis expediri non posset, data erat causa belli qua melior reperiri non potuit, suberat spes, si tum impetus factus esset, opprimi posse hostem imparatum et paene inermem. At ne ipse quidem satis paratus erat: evocandae erant ex longinquis Galliae regionibus legiones, id propter anni tempus longum erat atque impeditum, praeterea bellum tale erat quod totum ex celeritate penderet et magnum erat periculum ne qua voluntatis commutatio apud plebem fieret aut falsis nuntiis aut animi confirmatione aut largitionibus. Huc accessit quod ex tribunis plebis designatis duo certe, qui summa audacia erant et nefaria quadam pertinacia, Caesaris causam receperant et se suaque omnia ita in eius castra transtulerant, ut nisi in illius victoria spem salutis haberent nullam. Quod satis firmo adiumento erat Caesari ad causam suam tuendam, quatenus iure, legibus, disceptando erat decertandum. Quoniam enim patres ut Caesari succederetur decernere non potuerunt quin sententiam legis decem tribunorum fugerent et omnem aequitatem reiicerent, habebant illi tribuni quod honestum dictu saltem intercessioni praetenderent. Intercessum autem si erat, potestas optioque Pompeianis facta erat ut eligerent utrum mallent, cedere intercessioni an circumscribere et in ordinem cogere tribunos. Quorum utrumque contra eos erat futurum. Illud enim eligere non potuerunt quin suis commodis ipsi deessent, hac vero ratione inita, cum a legibus aperte discessissent, speciem iuris, qua eorum causa cum maxime nitebatur, amplius retinere nullo modo poterant. Satis igitur provisum videbatur esse ne Caesar postero anno sine idonea causa ad arma descendere cogeretur.

At differendo bello Caesar de iure suo aliquantum detraxit. Esto; sit imminutum aliquid de iure: num etiam de gratia? Immo quantum iuris Caesar cunctando causae suae detraxerat,

tantum addidit et gratiae et gravitatis magna illa specie moderationis et modestiae, qua ut paci et concordiae consuleret iustissimam causam armorum sua sponte omiserat. At vero Pompeius spatio ad se colligendum dato bellum parare potuit et victoriam, quae tum Caesari certa erat atque explorata, si non eripere ei, differre tamen et dubiam facere. Potuit illud quidem Pompeius; at homo vitio ingenii inanis ac paene regiae superbiae, cum semper in laude esset versatus et circumflueret gloria, opinionibus erat inflatus et adversarium prae se vehementer contemnebat. Qua ex re spes Caesari affulsit non inanis aut temere concepta fore ut, si ipse concedendo de iure suo opinionem timoris praebuisset, ille ne postero quidem anno, quantumvis omnia ad arma spectarent, segnitiam socordiamve abiiceret. Quae spes eum non fefellit. Nam ut nauta sine gubernaculis e portu egressus, commisit postea Pompeius et se et suos et totam rempublicam tempestati flagitiose imparatus cum a militibus tum a pecunia.

His rationibus permotum esse Caesarem existimo ut conatum inimicorum, quamquam et per se erat minime contemnendus et quasi gradus atque aditus ad cetera, tamen non modo comprimere, sed ne retardare quidem conaretur.

X. QUAE ROMAE ACTA SINT DE CAUSA CAESARIS EXEUNTE ANNO DCCIV.

Adeo iam ad propinquum certamen res adducta esse existimabatur, ut qui crederet tantam contumeliam Caesarem aequo animo laturum vix quisquam in urbe reperiretur. Suspensa expectatione tota civitas erat, plena timoris, prope desperans de communi salute: ecce repente praeter consuetudinem suam in Galliam cisalpinam Caesar advenit adventusque eius incredibili quodam honore et amore ab omnibus municipiis coloniisque ex-

ceptus est.[1] Statim rumores tristes temere sine ullis auctoribus oriuntur, excipiuntur et dissipantur cupide, ut quidque rei magnitudini et opinioni hominum videtur accommodatissimum additur atque adfingitur. Mox urbem, Italiam, fines imperii mira celeritate et constantia peragrat fama,[2] adesse Caesarem, conventuras esse Idibus Octobribus Placentiam quattuor legiones, impendere dimicationem quanta numquam fuisset. Quid multa? maximus erat motus animorum.

Soli Pompeiani in communi omnium metu laetabantur. Evenerat id quod eventurum totiens praedixerant, imminebat reipublicae et fortunis omnium hostis acerrimus, praesidium salutis nullum erat nisi in auxilio Pompeii; quid mirum quod tempus adesse putabant quo, cum metu Caesaris animi vehementius moverentur quam odio cupiditatis Pompeii, vel de gravissimis rebus senatus ad suam sententiam facile posset adduci. Confestim igitur, priusquam animi a terrore se reciperent, C. Marcellus consul in senatu de republica verba fecit: quo animo Caesar in rempublicam esset apertum iam esse omnibus; quid cunctando et tergiversando impetrari posset magnum in quo patria versaretur periculum apertius quam vellent ostendere; acrioribus remediis reipublicae subveniendum esse, nisi eadem ruina omnia vellent opprimi. Arcesserent duas legiones quae destinatae bello Parthico cum magno reipublicae commodo Capuae essent retentae; decernerent ut tota Italia dilectus haberentur et exercitus conscriberetur, quo praesidio respublica tuta ac libera esse posset; commendarent totam rempublicam Pom-

[1] Hirtius b. Gall. VIII, 51: *Exceptus est Caesaris adventus ab omnibus municipiis et coloniis incredibili honore atque amore. Tum primum enim veniebat ab illo universae Galliae bello. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorum omnium, qua Caesar iturus erat, excogitari potuit. Cum liberis omnis multitudo obviam procedebat, hostiae omnibus locis immolabantur, tricliniis stratis fora templaque occupabantur, ut vel spectatissimi triumphi laetitia praecipi posset. Tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores.*

[2] Cic. ad Att. VI, 9: *Idibus Octobr. has dedi litteras, quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones quattuor. Quaeso, quid nobis futurum est? In arce Athenis statio mea nunc placet.* cf. VII, 1.

peio eique permitterent ut defenderet eam provideretque ne quid detrimenti caperet. Armatum senatum omnia facile impetraturum; inermem neque pro se neque pro republica momenti ullius futurum apud Caesarem.

Magnum erat quod Marcellus postulavit, adeo magnum ut, si id erat concessum, omnis spes compositionis penitus videretur amissa. Sed patres decepti rumoribus, cum nullum esset consilium neque ulla eligendi optio daretur, haesitantes illi quidem et multum sibi timentes, transierunt tamen in consulis sententiam. Quo facto Curio, qui ne tum quidem Caesaris causam deseruit, in magnas angustias adductus est. Clamabat inanem esse et falsam quae de Caesare percrebruisset famam; negabat ad rumores temere in gratiam potentium fictos senatus consulta facienda esse; monebat denique patres ne, antequam ad liquidum veritas explorata esset, ad extrema consilia decurrerent quae neque revocari possent neque in integrum restitui. Sed nihil ea moverunt patres timore occaecatos et praeoccupatos criminibus minisque Pompeianorum. Ad unum igitur quod reliquum erat remedium Curio descendit: intercessit senatus consulto.

At Marcellus urgens quam optaverat occasionem Curionis premendi statim retulit de intercessione. Dictae sunt sententiae gravissimae, quarum summa haec erat: placere senatui auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si qua vis esset facta, senatum existimaturum eius opera factum esse qui senatus consulto intercessisset. Qua re cum Curioni terror iniectus esset et cogitatio quam non ex aequo disceptatio futura esset, primo ille quidem negavit ius esse patribus in tribunum plebis; si adversus intercessionem tamquam captae civitati leges imponere, tribunum plebis in ordinem cogere, leges sacratas quae ne a Sulla quidem violatae essent aperte tollere statuissent, etiam atque etiam viderent quid susciperent, quid sustinere possent; ceteros tribunos non quid sibi accidere vellent, sed quid ipsis in tali re metuendum esset rationem habituros; et si illi partium studio incensi officium et commune periculum negligerent, plebem tamen maximum libertatis praesidium impune everti numquam passu-

ram. Mox vero cum permulti patrum timide ac dubitanter agerent, id quod plerumque iis accidere solet qui in ipso negotio consilium capere coguntur, repente mutata sententia, praefatus utilitate reipublicae, non spe aut timore se semper sententiam suam moderatum esse, audacter de sua salute senatui permisit. Quae res ex sententia ei successit. Nam quo magis spatio interposito ab impetu ad consultandum advocabantur, eo plus abhorrebant a certatione animi; tandem ea voluntatum commutatio facta est ut, cum Marcellus discessionem faceret, senatus frequens in alia omnia transiret.

Tum Marcellus ira incensus, nihil attinet, inquit, verbis concertare aut leges perscrutari, cum decem legiones Alpes transeunt et maximum certamen reipublicae impendet. Multi iam et summa laude dignissimi consules in rebus dubiis voluntatem senatus pro auctoritate habuerunt, cum auctoritas impediretur metu; nos dubitamus in libertate et salute populi Romani conservanda tueri ac defendere senatus auctoritatem gravissimam? Dii meliora. Ego certe non committam ut immemor esse videar beneficiorum populi Romani, degenerasse a consuetudine et institutis maiorum, discessisse a religione officii quo nullum sanctius aut magis necessarium huius magistratus amplissimi maiestas in me contulit.[3] Egressus deinde senatu, comitantibus consulibus designatis et magna parte senatus,[4] perrexit ad Pompeium, qui cum esset cum imperio, quod senatus in urbe habebatur, iis quae de intercessione acta erant non interfuerat. Ei pro potestate consulari commendavit totam rempublicam, tradidit omnes copias quae Capuae et in reliqua Italia essent, permisit ut et novas copias ubi et quantas ipsi videretur compararet et omnia quae ad rempublicam defendendam pertinerent ex suo arbitrio administraret.

[3] Plut. Pomp. 58: Μάρκελλος ἀναστὰς οὐκ ἔφη λόγων ἀκροάσεσθαι καθήμενος, ἀλλ' ὁρῶν ὑπερφαινόμενα τῶν Ἄλπεων ἤδη δέκα τάγματα βαδίζειν καὶ αὐτὸς ἐκπέμψειν τὸν ἀντιταξόμενον αὐτοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος.

[4] Paullum quoque, alterum consulem, ad Pompeium exiisse, id quod Appianus II, 31 narrat, verisimile non est, et omittitur eius nomen a Dione XL, 66 et ab Hirtio b. gall. VIII, 55.

Quo facto Pompeius, postquam magna cum gravitate multa in hanc sententiam disputavit, senatus auctoritatem sibi omnibus in rebus maximi videri semperque visam esse, omnes oportere senatui dicto audientes esse, nihil interesse utrum quis aperte in auctoritate senatus non esset an pararet qui senatum decernere non pateretur, irato consuli respondit paratum se esse auctoritatem senatus defendere, si res postularet, etiam armis, suadere tamen ut patres, antequam eo se praecipitarent unde reditus nullus esset, omnia experirentur, si quo leniore remedio publicae saluti subveniri posset. Adiecerat id magis ut nudaret animos neve quid cupide agere videretur, quam quod ulla spes aut omnino voluntas pacificationis reliqua ei fuisset. Itaque cum consulem oratio non movisset, accepit duas legiones, quae Capuae erant retentae, et instituit ubique delectum habere; sed quamquam ipse primus de iure deflexerat et ad vim et arma rem revocaverat, tamen sive immodica sui fiducia inductus sive deceptus sermonibus eorum, qui milites alieno in Caesarem animo esse contendebant, adeo ignave negligenterque totam rem administrabat, ut prudens ac sciens ad pestem ante oculos positam videretur proficisci. Curio vero, cum ne delectus haberetur neque impetrasset neque ut impetraret magnopere tetendisset, conquestus apud populum iniuriam tribuniciae potestati illatam, peracto tribunatu[5] tamquam suae saluti metuens recta via Ravennam contendit ad Caesarem.

His expositis satis dictum videtur esse de relatione Marcelli et de altera Curionis intercessione. Unum restat, ut quae enarravimus testimoniis veterum scriptorum confirmemus. Prodiderunt autem memoriam harum rerum Cassius Dio XL, 66, Appianus bell. civ. II, 32, Plutarchus in vita Pompeii 58. Quorum scriptorum tertius in hac quidem parte historiarum adeo omnia confundit ac perturbat, ut quae narrat in usum nostrum convertere ausi non simus, nisi accesserat consensus vel Dionis vel Appiani. Ac ne hi quidem, luculentissimi in ceteris rebus auctores, in hac

[5] App. II, 31: Οὐδὲν ἀνύων, ἐπεί οἱ καὶ ὁ τῆς δημαρχίας χρόνος ἔληγε, δείσας ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ ἀπογνοὺς ἔτι δύνασθαι βοηθεῖν τῷ Καίσαρι κατὰ σπουδὴν ἐχώρει πρὸς αὐτόν. Idem tradit Dio XL, 66.

re plane nobis satisfaciunt. Nam cum de eventu rerum bene consentiant, de ratione et ordine quo quidque gestum sit mirum in modum inter se discedunt. Atque Appianus eorum quae modo enarravimus suppeditat haec: retulisse Marcellum de árcessendo exercitu, transiisse senatum in eius sententiam, intercessisse Curionem; id vero, actum esse in senatu de intercessione, prorsus omittit. Contra ea Dio quae Appianus tradit ne verbo quidem attingit, sed quae de Curione in senatu acta sunt ea copiose exponit, ita tamen ut quaedam falsa interponat. Qua re necessitas nobis iniuncta erat supplendi ex Dionis narratione Appiani et corrigendi ipsum Dionem. Quorum illud quidem recte nos fecisse facile possumus probare; verisimillimum enim videtur esse Marcellum, antequam custodiam urbis Pompeio mandaverit, nihil praetermisisse quo Curionem ut intercessionem remitteret moveret. Neque in Dione defensio nobis impedita est. Nam quod ille tradit consulem de Curione referendi occasionem ex eo petiisse, quod Appius Claudius censor Curionem senatu movere voluisset, credi omnino non potest; primum enim Appii conatus vetante Pisone collega ad irritum ceciderat, deinde neque consulis neque senatus partes erant ut censorum acta defenderent. Itaque simultates, quas Appius Claudius censor cum Curione habuisse dicitur, quamquam fuisse eas non negamus, huic tamen causae admiscere noluimus.

Iam quid vertente anno actum sit priusquam exponamus, e re videtur esse quo tempore quidque eorum de quibus adhuc disputavimus gestum sit quam accuratissime investigare. Cuius rei initium ducendum est a comitiis; de iis enim si convenerit, cetera facile expedientur. De comitiis autem quando primum Cicero certior factus sit ignoramus; id tantum notum est compertum eum habuisse comitiorum eventum pridie Kal. Octobres, cum decedens ex Cilicia Ephesi commoraretur. Hoc enim cognoscimus ex his verbis quae Cicero ad Atticum scripsit[6]: *Cum instituissem ad te scribere calamumque sumpsissem, Batonius e navi recta ad me venit domum Ephesi et epistolam tuam reddidit pridie Kal. Octobres. — Batonius autem miros terrores ad me*

[6] Cic. ad Att. VI, 8.

attulit Caesarianos; cum Lepta etiam plura locutus est; spero falsa, sed certe horribilia: exercitum nullo modo dimissurum; cum illo praetores designatos, Cassium tribunum pl., Lentulum consulem facere; Pompeio in animo esse urbem relinquere. Iam Roma Athenas, si tabellarii festinabant, perferebantur epistolae uno et vicesimo die,[7] Epheso autem Athenas Quintus Cicero, cum ex Asia discessisset ante Kal. Maias, pervenit Idibus, Marcus Cicero, cum Kal. Oct. navem conscendisset, prid. Idus; atque uterque properavit, ut non posset magis, ita tamen ut Marcus certe adversis ventis paullum impediretur.[8] Quare si die tricesimo post aut ultra etiam quam facta sunt Romae omnia Ephesum nuntiata esse statuimus, non multum a veritate videmur recedere. Sequitur igitur ut Batonius ex Italia profectus sit sub Kalendas Septembres et comitia habita non sint post illum diem.

Age porro: Hirtius bell. Gall. VIII, 50 haec scripsit: *Caesar hibernis peractis contra consuetudinem in Italiam quam maximis itineribus est profectus, ut municipia et colonias appellaret, quibus M. Antonii, quaestoris sui, commendaverat sacerdotii petitionem. — Hunc etsi augurem prius factum quam Italiam attingeret in itinere audierat, tamen non minus iustam sibi causam municipia et colonias adeundi existimavit, ut iis gratias ageret, quod frequentiam atque officium suum Antonio praestitissent, simulque se et honorem suum sequentis anni commendaret, propterea quod insolenter adversarii sui gloriarentur L. Lentulum et C. Marcellum consules creatos, qui omnem honorem et dignitatem Caesaris spoliarent, ereptum Ser. Galbae consulatum, cum is multo plus gratia suffragiisque valuisset, quod sibi coniunctus et familiaritate et consuetudine legationis esset.* Ex his verbis elucet primum Antonium augurem factum esse ante Cae-

[7] Cic. ad fam. XIV, 5: *Pridie Idus Octobres Athenas venimus, cum sane adversis ventis usi essemus tardeque et incommode navigassemus. De nave exeuntibus nobis Acastus cum litteris praesto fuit uno et vicesimo die, sane strenue.*

[8] De Cicerone vide ad Att. VI, 8 et 9, ad fam. XIV, 5, de Quinto fratre ad Att. III, 9. Anno 700 a. d. IX Kal. Nov. Cicero Romae Attici proximas litteras habuit Epheso a. d. V Id. Sext. datas. V. ad Att. IV, 17.

saris adventum in Italiam, deinde magistratuum comitia habita esse ante illa auguralia et antequam Caesar iter susceperit;[9] illud enim ipse Caesar perspicuis verbis tradit, hoc ni ita fuisset, non hanc solam ob causam quam ipse affert, ut Antonii petitionem auguratus commendaret, Caesar in Italiam profectus esset, sed multo magis propterea ut et illum in tribunatu et Galbam in consulatu petendo adiuvaret; quae causa itineris cur illi hoc loco reticenda fuerit ego quidem non video. Multum igitur ad id quod quaerimus interest, ut quo tempore Caesar illud iter susceperit inveniamus.

Quam ad rem perveniemus his conclusionibus. Batonius ille, quem circiter Kalendas Septembres ex Italia discessisse antea ostendimus, praeter eventum comitiorum miros terrores Caesarianos ad Ciceronem attulit.[10] Atqui illius tumultus praeter repentinum Caesaris adventum aliam causam nullam invenimus. Verisimile igitur est in Gallia citeriore versatum esse Caesarem eo ipso tempore. Peragravit porro Galliae cisalpinae municipia maxima celeritate necdum ex iis discesserat a. d. XV Kal. Octobres, eo enim die fama per urbem erat conventuras esse Idibus Oct. quattuor legiones Placentiam.[11] Ex quo efficitur Caesarem in Galliam citeriorem advenisse non multo ante Kal. Septembres. Iam vero in finibus Belgarum versabatur, cum iter ingressus est. Scimus autem epistolam quandam Quinti Ciceronis datam ex Gallia redditam esse Marco Romae die vicesimo et aliam eiusdem datam ex Britannia die tricesimo quarto.[12]

[9] Antonium, cum iam tribunus designatus esset, augurem factum esse tradit Plutarchus in vita Antonii c. 5.

[10] Cic. ad Att. VI, 8.

[11] Cic. ad Att. VI, 9: *In Piraeea cum exissem pridie Idus Octobr., accepi ab Acasto, servo meo, statim tuas litteras; — cognovi ex eo, quod ita scripseras, te Romam venisse a. d. XII Kal. Octobr. cum febri. — Idibus Octobr. has dedi litteras; quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones quattuor.* Haec verba docent Caesarem, quo tempore Atticus suas litteras scripsit, nondum in Galliam ulteriorem recessisse. Atticum autem non a. d. XII Kal. Octobr., id quod in omnibus editionibus legimus, sed a. d. XV Kal. Oct. vel antea Romam cum febri venisse facile colligi potest ex iis verbis epistolae ad fam. XIV, 5 quae antea descripsimus.

[12] Cic. ad Quintum fratrem III, 1. A. d. IX Kal. Nov. Cicero a Quinto

Sequitur igitur ut Caesar iter susceperit initio fere mensis Sextilis.

Cui rationi non repugnat quod Hirtius tradit peractis hibernis Caesarem in Italiam profectum esse. Primum enim, cum Gallia pacata esset et Caesar id unum spectaret ut civitates in amicitia contineret, adeo nulla causa erat cur milites ex hibernis educere maturaret, ut priusquam ex Italia revertisset omnino non educeret ac ne tum quidem aliam ad rem, nisi ut exercitum lustraret et tantum itinerum faceret, quantum satis esset ad mutationem locorum propter salubritatem.[13] Deinde ratio habenda est, fastos id temporis pontificum vitio per intercalandi licentiam mirum in modum turbatos fuisse. Cuius rei insigne exemplum ipse Caesar in septimo commentario de bello Gallico nobis suppeditat. Profectus enim est Caesar anno 702 in Galliam ulteriorem ad comprimendam seditionem tum demum, cum urbanas res virtute Cn. Pompeii commodiorem in statum pervenisse intellexisset (vide c. 6), id est non ante initium mensis Aprilis; Pompeius enim consul creatus est V Kal. Mart. mense intercalario neque sedati sunt urbani motus ex caede Clodii orti ante Milonis condemnationem, quam a. d. VI Id. Aprilis factam esse Asconius in argumento orationis Milonianae tradit p. 31 editionis Orellianae. In Galliam cum Caesar advenisset, contendit Narbonem, constituit in locis quae hostibus finitima erant praesidia, contraxit partem copiarum supplementumque quod ex Italia adduxerat in Helvios. His omnibus peractis transiit montem Cevennam et pervenit ad fines Arvernorum, ut ipse tradit c. 8, durissimo tempore anni. Deinde biduum in his locis moratus ab exercitu discessit et quam maximis potuit itineribus per fines Haeduorum in Lingones contendit. Quo cum pervenisset et omnes legiones quae in his regionibus hiemabant in unum locum coegisset, Vercingetorix Gorgobinam, Boiorum oppidum, oppugnare instituit. Quae res Caesari magnam difficultatem ad consilium capiendum afferebat; periculum enim erat, ut ipse

fratre et a Caesare accepit litteras datas a litoribus Britanniae proximo a. d. VI Kal. Oct. Cf. ep. ad Att. IV, 17.

[13] Hirt. b. Gall. VIII, 52.

c. 10 significat, *si reliquam partem hiemis uno loco legiones contineret, ne stipendiariis Haeduorum expugnatis cuncta Gallia deficeret, quod nullum amicis in eo praesidium videretur positum esse; si maturius ex hibernis educeret, ne ab re frumentaria duris subvectionibus laboraret.* Deliberata re ad Boios proficisci instituit. Expugnavit sex dierum spatio Vellaunodunum et Genabum, transduxit deinde exercitum Ligerem et Novioduno ad deditionem adacto oppugnare coepit Avaricum, maximam urbem Biturigum. Quae oppugnatio quam diu Caesarem morata sit neque ipse tradit neque ex eius narratione satis certo colligi potest; longinqua vero fuit. Tamen quo tempore urbs expugnata est, hiems nondum erat confecta (c. 32). Haec sufficere putamus ad demonstrandum fastos eo tempore misere fuisse perturbatos et fieri potuisse ut Caesar Kal. Sext. ex Gallia discedens proficisceretur peractis hibernis.

Apparere iam videtur Antonium augurem factum esse mense Sextili et comitia creandis magistratibus habita esse ante initium eiusdem mensis. Pergimus porro. L. Domitio, qui in auguratus petitione Antonii competitor erat, comitiorum diem timori esse nuntiat Coelius Ciceroni ad fam. VIII, 12, repulsam eum tulisse ad fam. VIII, 14; contra consularium comitiorum aut praetoriorum nusquam mentionem facit neque in his epistolis neque in ceteris quae extant. Omisisse autem eum omnem comitiorum mentionem credibile non est cum propter rei magnitudinem tum propter Coelii sedulitatem in rebus novis conquirendis prope nimium argutam.[14] Adducimur igitur in eam opinionem ut antea

[14] Coelius in ep. ad fam. VIII, 1: *Quod tibi decedens pollicitus sum me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum, data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear ne tibi nimium arguta haec sedulitas videatur. Tametsi tu scio quam sis curiosus et quam omnibus peregrinantibus gratum sit minimarum quoque rerum, quae domi gerantur, fieri certiores, tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegavi; non quin mihi suavissimum sit et occupato et ad litteras scribendas, ut tu nosti, pigerrimo tuae memoriae dare operam; sed ipsum volumen, quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat. Nescio cuius otii esset non modo perscribere haec, sed omnino animadvertere; omnia enim sunt ibi senatus consulta, edicta, fabulae, rumores; quod exemplum si forte minus te delectarit, ne molestiam tibi cum*

Ciceronem amissa aliqua epistola hac de re a Coelio certiorem factum esse putemus. Iam vero ante duodecimam libri octavi nullam epistolam per dies quadraginta miserat; ipse enim in ea epistola scripsit: *conturbat me mora servi huius, qui tibi litteras attulit; nam acceptis prioribus litteris amplius quadraginta mansit.*[15] Illam autem epistolam mense Sextili scriptam esse apparet cum ex iis quae de Antonio disputavimus, tum ex his quae in ipsa ea epistola leguntur verbis: *insolentissimi homines summis Circensibus ludis meis postulandum me lege Scantinia curant;* Circenses enim sunt ludi Romani, qui celebrabantur a pridie Non. Sept. usque ad a. d. XIII Kal. Oct.[17] Sequitur igitur comitia magistratibus creandis illo anno habita esse mense Quintili, id est legitimo comitiorum tempore.

Reliquum est ut quo tempore Pompeio custodia reipublicae a C. Marcello tradita sit investigemus. Ac primum quidem confectam eam rem fuisse antequam novi tribuni a. d. IV Id. Decembres magistratum inierint facile cognoscimus et ex eo quod Curio, cum delectum impedire non potuisset, ad Caesarem Ravennam contendit et ex eo quod Plutarchus in vita Antonii c. 5 narrat Antonium, ut primum tribunatum inierit, rogationem promulgavisse ut legiones quas C. Marcellus Pompeio tradidisset in Syriam transportarentur, ceteri qui conscripti essent milites Pompeio dicto audientes ne essent. Deinde per maximam partem mensis Novembris et per totum fere mensem Decembrem Pom-

impensa meu exhibeam, fac me certiorem. Si quid in republica maius actum erit, quod isti operarii minus commode persequi possint, et quemadmodum actum sit et quae existimatio secuta quaeque de eo spes sit, diligenter tibi perscribemus. Cf. ad fam. VIII, 11.

[15] Ne quis miretur quid sit quod Coelius ante quadraginta dies tabellarium rediturum speraverit, primum dubitari potest utrum ad ipsum Ciceronem litteras perferre illum iusserit, an Athenis aliove loco alteri tradere qui Ciceroni redderet; deinde Cicero pr. Kal. Sext. Cilicia decesserat et Coelio scripserat quam maxima celeritate se Romam properaturum, quare spes erat in itinere et longe iam progressum Ciceronem litteras accepturum.

[16] Vide Kalendaria antiqua in Orellii collect. inscript. vol. II, p. 398 et quae nos de ludis exposuimus in disputatione de aedilibus Romanorum, Berol. 1842.

peium ab urbe afuisse docent hi loci Ciceronis epistolarum ad Atticum: VII, 2 *Commodum expectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses, scripseras enim in ea esse de sermone Pompeii Neapolitano, cum eam mihi Patro Brundisii* (VII Kal. Dec.) *reddidit; Corcyrae, ut opinor, acceperat,* VII, 4 *Pompeium vidi IV Id. Decembres; fuimus una horas duas fortasse,* VII, 8 *Quod putasti fore ut, antequam istuc venirem, Pompeium viderem, factum est ita. Nam VI Kal.* (Ianuarias) *ad Lavernium me consecutus est. Una Formias venimus et ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus.* Consentaneum est igitur rem de qua quaerimus factam esse aut primis diebus mensis Novembris aut antea etiam. Denique huc pertinent quae Hirtius narrat b. Gall. VIII, 52: *cum omnes regiones Galliae togatae Caesar percucurrisset, summa celeritate ad exercitum Nemetocennam rediit legionibusque ex omnibus hibernis ad fines Treverorum evocatis eo profectus est ibique exercitum lustravit,* et c. 55: *ipse in Italiam profectus est. Quo cum venisset, cognoscit per C. Marcellum consulem legiones duas ab se remissas, quae ex senatus consulto deberent ad Parthicum bellum duci, Cn. Pompeio traditas atque in Italia retentas esse.* Nam si de priore Caesaris itinere recte statuimus adiisse eum municipia Galliae togatae priore parte mensis Septembris, quamquam et in itinere et in rebus ordinandis maxima celeritate usus est, rediisse ex ulteriore Gallia in Italiam non potest ante medium mensem Novembrem. Ex quo efficitur legiones Pompeio traditas non esse ante postremos dies mensis Octobris; nam si antea traditae essent, comperisset Caesar rem in Gallia, non postquam in Italiam advenit.

Iam si res disperse ac diffuse explicatas unum in locum cogimus et reminiscendi causa unum sub aspectum subiicimus, hic videtur fuisse ordo rerum gestarum: Consularis actio de Caesaris provinciis, quae suscepta erat mense Maio, extracta est in mensem Iunium eodemque mense de intercessione Curionis et agi coeptum est et confectum. Deinde medio mense Quintili, ut fere solebant, magistratuum comitia habita sunt magno cum detrimento Caesaris. Qua re permotus Caesar specie ut Antonii

petitionem auguratus adiuvaret et suum honorem sequentis anni commendaret, re vera ut animos hominum ad bellum quod instabat sibi conciliaret et adversariis terrorem iniiceret, sub Kal. Sextiles ex Belgis, ubi hiemaverat, quam maximis itineribus in Italiam profectus est, neque iter omittendum esse existimavit, quamquam Antonium medio mense Sextili augurem factum esse, antequam Italiam attingeret, in itinere audiverat. Advenit in Italiam extremis diebus mensis Sextilis et per totum fere mensem Septembrem peragrabat municipia et colonias Galliae cisalpinae. Exinde mense Octobri miri terrores Caesariani commoverunt totam civitatem. Qua ex re occasionem petens insectatus est Marcellus consul conviciis Caesarem, pressit in senatu omni modo Curionem, tradidit denique, cum res ei parum procederet, exeunte mense Octobri totam rempublicam Pompeio. Interim Caesar in Belgas reversus exercitum lustravit, legionem tertiam decimam in Italiam misit, alia quae rerum status postulavit summo cum studio administravit. Tum his rebus confectis tanta celeritate in Italiam rediit, ut medio mense Novembri Ravennae versaretur ibique postea Curionem Roma profugum exciperet.

Verum ut ad id unde degressa est narratio revertamur, ne exeunte quidem anno desierunt principes factionum de pace agere. Quae ferebantur conditiones ad irritum ceciderunt et propositae erant magis ut, si res ad arma deducta esset, adversarii culpa id accidisse videretur quam quod ulla spes aut omnino voluntas compositionis fuisset; tamen quo tempore de iis agebatur summam expectationem commovebant ac ne nunc quidem omnis earum memoria evanuit.

Tradunt enim de his conditionibus veteres scriptores haec: Suet. Caes. 29: *Caesar senatum litteris deprecatus est ne sibi beneficium populi adimeretur, aut ut ceteri quoque imperatores ab exercitibus discederent; confisus, ut putant, facilius se, simulatque libuisset, veteranos convocaturum quam Pompeium novos milites. Cum adversariis autem pepigit, ut dimissis octo legionibus transalpinaque Gallia duae sibi legiones et cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad*

consul fieret. Appian. b. civ. II, 32: Ὁ Καῖσαρ τοὺς φίλους ἐκέλευεν ὑπὲρ αὐτοῦ συμβῆναι, τὰ μὲν ἄλλα αὐτὸν ἔθνη καὶ στρατόπεδα ἀποθήσεσθαι, μόνα δὲ ἕξειν δύο τέλη καὶ τὴν Ἰλλυρίδα μετὰ τῆς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίας, ἕως ὕπατος ἀποδειχθείη. Καὶ Πομπηΐῳ μὲν ἀρκεῖν ἐδόκει· κατακωλυόντων δὲ τῶν ὑπάτων, ὁ Καῖσαρ ἐπέστελλε τῇ βουλῇ καὶ τὴν ἐπιστολὴν ὁ Κουρίων ἐπέδωκε τοῖς νέοις ὑπάτοις. Plut. Pomp. 59: Ἄρτι ἐκ Κιλικίας ἀφιγμένος Κικέρων ἔπραττε διαλλαγάς, ὅπως Καῖσαρ ἐξελθὼν Γαλατίας καὶ τὴν ἄλλην στρατιὰν ἀφεὶς πᾶσαν ἐπὶ δυσὶ τάγμασι καὶ τῷ Ἰλλυρικῷ τὴν δευτέραν ὑπατείαν περιμένῃ. Πομπηΐου δὲ δυσκολαίνοντος, ἐπείσθησαν οἱ Καίσαρος φίλοι θάτερον ἀφεῖναι· Λέντλου δὲ ἀντικρούσαντος καὶ Κάτωνος αὖθις ἁμαρτάνειν τὸν Πομπήϊον ἐξαπατώμενον βοῶντος, οὐκ ἔσχον αἱ διαλύσεις πέρας. Velleius II, 49: *Ut deinde spretis omnibus, quae Caesar postulaverat tantummodo contentus cum una legione titulum retinere provinciae, privatus in urbem veniret et se in petitione consulatus suffragiis populi Romani committeret decrevere, ratus bellandum Caesar cum exercitu Rubiconem transiit.*[18]

Tulit igitur Caesar, postquam in Italiam rediit, hanc conditionem, ut omnes ab armis discederent, ipse proximo anno ex more maiorum praesens per trinundinum consulatum peteret. Postea, cum id non persuasisset, concessit Pompeio ut provincias exercitusque retineret, sibi vero postulavit Galliam cisalpinam et duas legiones, dum consul factus esset. Postremo, cum ne id quidem placuisset, quasi cum adversario qualibet, dummodo tolerabili, conditione transigere vellet, eo descendit ut, si unam legionem cum Illyrico retinere sibi liceret, contentum se fore promitteret.

[18] Hunc locum exhibui, ut legitur in editione Basiliensi anni 1546. Nam in scriptura editionis principis et codicis Amerbachiani, ubi post *privatus* additur *que* et pro *veniret* et *committeret* legitur *venire* et *committere*, quomodo verborum structura procedat ego quidem intelligere non possum; quod Kritzius vero scribit *contentum — retinere, privatumque — venire et se — committere*, ita ut omnia pendeant ex verbo *decrevere* eique verbo accusativus cum infinitivo adiungatur, cum aliis de causis reprehendo, tum quod cum una legione et titulo provinciae nemo privatus in urbem venire potest atque id ipsum, ut unam legionem retineret, a senatu numquam permissum est.

Quodsi quaerimus quomodo factum sit ut hae conditiones repudiarentur, omnes fere rerum scriptores contendunt placuisse illas quidem Pompeio, discussas vero esse pertinacia optimatium.[19] Quod nobis non persuaserunt. Erant sane aequae illae conditiones, erant honestae, remiserat Caesar multum de postulationibus suis; tamen de ea re in qua summa erat totius certaminis nihil erat mutatum, ne minimum quidem. Nam sive unam legionem retinebat Caesar sive decem, dummodo cum imperio abesse ei liceret et absenti petere, ad consulatum pervenire potuit tutus ab omni accusatione. Quid igitur? quod ne fieret summo ardore Pompeius pugnaverat, id tum ultro eum remisisse putemus? At credo mutaverat sententiam vel satis provisum esse suis rationibus credidit, si Caesaris copiae adeo imminuerentur. At ipse VI Kal. Ian. professus est, si Caesar vel dimisso exercitu consul factus esset, σύγχυσιν τῆς πολιτείας fore.[20] Neque ceteros optimates de hac re dissensisse docent multi loci epistolarum Ciceronis, quorum hos duos attulisse satis habeo: ad Att. VII, 15: *Vicerit Caesar, si consul factus erit, et minore scelere vicerit, quam quo ingressus est*, et VII, 9: *Vide consulem illum iterum, quem vidisti consulatu priore. At tum imbecillus plus, inquit, valuit quam tota respublica. Quid nunc putas? Et eo consule Pompeio certum est esse in Hispania.*

His de causis persuadere mihi non possum comprobasse Pompeium eas conditiones;[21] id vero non dubito, quin simulaverit se eas probare. Nam cum ea quae Caesar proposuerat neque

[19] Vide de hac re praeter locos supra allatos Plut. Caes. 31: Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἄρτι παρὼν ἐκ Κιλικίας καὶ διαλλαγὰς πράττων ἐμάλαττε τὸν Πομπήϊον· ὁ δὲ τἄλλα συγχωρῶν τοὺς στρατιώτας ἀφῄρει. — — Πομπηΐου δὲ καμπτομένου καὶ ἐνδιδόντος οἱ περὶ Λέντλον οὐκ εἴων ὑπατεύοντες, Velleium II, 49: *Nihil relictum a Caesare, quod servandae pacis causa tentari posset, nihil receptum a Pompeianis, cum alter consul iusto esset ferocior, Lentulus vero salva republica salvus esse non posset, M. autem Cato moriendum ante quam ullam condicionem civis accipiendam reipublicae contenderet.*

[20] Cic. ad Att. VII, 8.

[21] Hoc idem censet Cicero ad Att. VIII, 8: *O rem turpem et ea re miseram! Sic enim sentio, id demum aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Aluerat Caesarem; eundem repente timere coeperat; condicionem pacis nullam probarat; nihil ad bellum pararat.*

optimatibus neque ipsis eius amicis placerent,[22] certissima spes Pompeio allata est peractum iri aliorum opera quod ipse sine invidia peragere non posset. Et accesserunt aliae eaeque non contemnendae utilitates. Primum enim, si optimates Pompeio non modo non adiuvante sed etiam dissuadente illas conditiones repudiaverant, quomodo Caesar excusare potuit adversari se factioni Pompeianorum, non auctoritati senatus? Deinde belli excitati culpa vel senatus erat vel Caesaris, ad Pompeium nullo modo pertinebat. Denique optimatibus, cum ad Caesaris gratiam amicitiamve nullum iam receptum haberent, necessitas quaedam iniuncta est accommodandi se totos ad arbitrium et nutum Pompeii.

Pompeius igitur non modo acquiescere se facillime in Caesaris conditionibus simulabat et talia loquebatur ex quibus significatio fieret quaecumque senatui placerent se non adversaturum, sed etiam, ut de voluntate sua omnem dubitationem eximeret, quasi securus esset de rei inceptae eventu, rus abiit et mense Novembri et Decembri[23] in villis, quas in Campania habuit, commorabatur. Quo facto percommode ei accidit quod optimates et illud iter acerbe vituperabant[24] et Caesaris conditionibus repudiatis aperte significabant se nulla ne aequissima quidem conditione cum eo transigi velle.

Ceterum iam initio mensis Decembris omnem spem, quam

[22] De Curione vide Appian. b. civ. II, 32: Κουρίωνι μὲν δὴ συγκαλεῖν ἐδόκει τὸν στρατὸν ἅπαντα ἤδη καὶ ἄγειν ἐπὶ Ῥώμης· Καίσαρι δὲ ἔτι πειρᾶσθαι διαλύσεων, et Vell. II, 48: *Curio saluberrimas et coalescentis condiciones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit, unice cavente Cicerone concordiae publicae.* De Antonio cf. Cic. ad Att. VII, 8: *Habebamus in manibus Antonii contionem habitam X Kal. Ianuar., in qua erat accusatio Pompeii usque a toga pura, querela de damnatis, terror armorum; in quibus ille, Quid censes, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem reipublicae venerit, cum haec quaestor eius infirmus et inops audeat dicere?*

[23] Vide quae supra p. 105 de hac re disputavimus.

[24] Cic. ad Att. VII, 5: *De republica quotidie magis timeo. Non enim boni, ut putavi, consentiunt. Quos ego equites Romanos, quos senatores vidi, qui acerrime cum cetera, tum hoc iter Pompeii vituperarent! Pace opus est. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannus existet.*

de his conditionibus habuerant, evanuisse docent perspicue haec verba Ciceronis ad Att. VII, 4: *Pompeium vidi IV Id. Decembres; fuimus una horas duas fortasse.— De republica autem ita mecum locutus est, quasi non dubium bellum haberemus. Nihil ad spem concordiae; plane illum a se alienatum cum ante intelligeret, tum vero proxime iudicasse: venisse Hirtium a Caesare, qui esset illi familiarissimus, ad se non accessisse; et cum ille a. d. VIII Idus Decembr. vesperi venisset, Balbus de tota re constituisset a. d. VII ad Scipionem ante lucem venire, multa de nocte eum profectum esse ad Caesarem. Hoc illi* τεκμηριῶδες *videbatur esse alienationis.*

XI. DE PRIMIS ACTIONIBUS L. LENTULI ET C. MARCELLI CONSULUM.

In exitu erat annus atque in dies maior cura et patribus et plebi incessit de instante certamine gravissimo. Suspensa erant omnia expectatione et metu; plebes optimatium vultus circumspectat, ipsi optimates de salute et incolumitate sua anxie consultant neque quid consilii capiant reperiunt. Soli factionum principes impigre rem agitant, concursant, inter se colloquuntur, concionantur, nihil praetermittunt quo paratiores et instructiores ad certamen descendant.

Veniunt tandem Kalendae fatales, ineunt consulatum L. Lentulus et C. Marcellus, vocatur ex more maiorum senatus in Capitolium. Vixdum consules in senatum ingressi sunt, cum litterae Caesaris iis a Curione redduntur, qui Ravenna a Caesare profectus trium dierum cursu mille trecenta stadia emensus erat.[1] Consules metuentes ne quid a Caesare proponatur quod flectere

[1] Appian. b. civ. II, 32. Ne foris acceptas supprimerent litteras in curia ipsa consulibus redditas esse Dio XLI, 1 narrat. Quam vere nescio; idem certe anno 710 factum est de litteris Planci, quamquam eiusmodi suspicio nulla erat. Vide Cic. ad fam. X, 16.

possit animos hominum nondum satis confirmatos, primo illi quidem negant recitari eas e republica esse, mox vero sive ne incognita causa Caesarem damnare videantur sive coacti summa tribunorum plebis contentione aegre concedunt.

Recitantur igitur litterae. Enumeraverat autem Caesar in iis quae per tot annorum spatium pro republica felicissime gessisset, ostenderat quae sibi crimini ducerentur vana esse et profecta ex invidia atque obtrectatione laudis suae, postulaverat denique ut omnes ab exercitibus discederent et liberam rempublicam senatui populoque Romano permitterent. Se, si Pompeius his conditionibus acceptis exercitum dimisisset, statim provincias traditurum et facile passurum esse absentis sui rationem non haberi; si vero ille, qui sine suo periculo posset, de suis commodis communi saluti quicquam concedere recusaret, certum sibi esse ac destinatum ius suum optimum persequi neque suas amicorumque fortunas fidei hominum inimicissimorum committere.[2] His verbis recitatis magnus animorum motus factus est. Reclamant vehementer Pompeiani neque impetrari potest ut ex litteris ad senatum referatur. Referunt consules de republica.

Qua in re quid optimates secuti sint facile est ad intelligendum. Nam quamquam consules, sive de republica, sive de Caesaris litteris retulerunt, de eadem re acturi erant, tamen multum interfuit quomodo referretur. Fac enim retulisse consules de illis litteris, nonne necessitas imposita erat senatoribus aperte diiudicandi de causa Caesaris et Pompeii et eligendi

[2] Caes. b. civ. I, 9: *cum litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetravisse.* Dio XLI, 1: Ἐν τῇ ἐπιστολῇ τά τε ἄλλα, ὅσα ποτὲ καλῶς τὸ κοινὸν ὁ Καῖσαρ ἐπεποιήκει, ἐνεγέγραπτο καὶ ἀπολογισμὸς ὑπὲρ ὧν ᾐτιάζετο. Καταλύσειν τε τὰ στρατόπεδα καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκστήσεσθαι ὑπισχνεῖτο, ἂν καὶ ὁ Πομπήϊος τὰ αὐτὰ οἱ ποιήσῃ. Ἐκείνου γὰρ τὰ ὅπλα ἔχοντος οὐδὲ ἑαυτὸν δίκαιον εἶναι ἀναγκασθῆναι αὐτὰ ἀφεῖναι ἔλεγεν, ἵνα μὴ καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἐκδοθῇ. Appian. b. civ. II, 32: Περιεῖχε ἡ γραφὴ κατάλογόν τε σεμνὸν ὧν ἐξ ἀρχῆς ὁ Καῖσαρ ἐπεπράχει καὶ πρόκλησιν ὅτι θέλοι Πομπηΐῳ συναποθέσθαι, ἄρχοντος δὲ ἔτι ἐκείνου οὔτε ἀποθήσεσθαι, καὶ τιμωρὸς αὐτίκα τε τῇ πατρίδι καὶ ἑαυτῷ κατὰ τάχος ἀφίξεσθαι. Minas adiecisse Caesarem pro eius prudentia vix crediderim; sed etiam sine minis litterae erant minaces. Vide de his Caesaris litteris praeterea Cic. ad fam. XVI, 11 et 12 et Plut. Pomp. 59.

partes quibus deinde addicti essent et quasi consecrati? At qui praeter agros, villulas, nummulos suos nihil curabant, quorum numerus in senatu magnus erat, nihil magis expetebant quam ut fortunarum aliarum eventum sine ullo discrimine rerum suarum opperirentur. Quod perspicue docent haec Coelii verba, quae leguntur in ep. ad fam. VIII, 14: *Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu civiliter sine armis certetur, honestiorem sequi partem; ubi ad bellum et castra ventum sit, firmiorem, et id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia video Cn. Pompeium senatum quique res iudicant secum habiturum; ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros; exercitum conferendum non esse omnino. Modo satis spatii sit ad considerandas utriusque copias et eligendam partem.* Quid igitur? qui tam anxie saluti suae et incolumitati consulebant et fracti animis quo se conferrent plane nesciebant, eosne commoveri potuisse censes ut aperte Caesaris causam condemnarent et scientes prudentesque se eo demitterent, unde progressus praeceps esset, reditus aut inconstans aut omnino nullus? Age vero, in optimatibus quae spes fuisset Pompeio? Oderant illi quidem Caesarem neque verebantur rem ad discrimen adducere; sed Pompeium quoque suspectum habebant et aegre ferebant sub umbra unius hominis totam rempublicam latere eiusque nutum pro decretis patrum, pro populi iussis esse. Videsne igitur magnum periculum fuisse ne, si occasio detrahendi aliquid de utroque adversario data esset, cupide eam arriperent? Atque data esset illa occasio, si de epistola Caesaris consules retulissent? Neque enim Caesar a suis conditionibus ipse fugere potuit neque Pompeius obsistere constantis senatus consensui. Magna igitur pericula imminebant Pompeio ex hac relatione. Vide iam alteram; vacuam ab his incommodis inveneris. Primum enim optimates, si de provinciis consularibus ex lege relatum erat, provinciarum Pompeii mentionem inferre nullo modo potuerunt; ipsi enim in alterum quinquennium imperium ei prorogaverant. Deinde ut Caesar decederet sine ullo periculo decerni potuit; circumactum enim erat tempus imperii neque

ipse recusabat quominus successor sibi mitteretur. Illud vero, in quo summa certaminis erat, habenda esset proximis comitiis ratio Caesaris absentis necne, integrum reservabatur neque ulla necessitas erat uno iudicio de omnibus fortunis decernendi.

Retulerunt igitur consules de republica, id est de provinciis.[3] L. Lentulus consul, postquam quae sua de re sententia esset et quid in decernendo patres sequi vellet pluribus verbis ostendit, hortatus ne Caesarem respicerent neve eius gratiam sequerentur, sententias ut mos erat perrogare coepit.[4] Dictae sunt omnino tres sententiae: prima Scipionis, quae et propter necessitudinem quae illi cum Pompeio erat et quod senatus in urbe habebatur Pompeioque proconsuli in urbem introire non licebat[5]

[3] Tota nostra de consulum relatione disputatio nititur in iis, quae Caesar in initio primi commentarii de bello civili enarrat. Inde igitur argumenta sumi volumus, nisi alia quaedam nominatim attulerimus.

[4] Quod Dio XLI, 2 tradit, sententias rogatas non esse, sed senatus consultum per discessionem factum esse, aperte redarguitur et ipsa rei natura et iis quae Caesar narrat l. l. c. 1 et 2.

[5] Caes. b. civ. I, 2: *Haec Scipionis oratio, quod senatus in urbe habebatur Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti videbatur.* Hoc loco verba *Pompeiusque aderat,* quamquam omnes codices praebent, recte se habere mihi non videntur. Nam Pompeium in senatu non adfuisse et per se est certum, et ab ipso Caesare c. 3 perspicue significatur his verbis: *Misso ad vesperum senatu omnes, qui sunt eius ordinis, a Pompeio evocantur. Adesse* autem idem fere quod *adesse ad urbem* significare, id quod interpretes volunt, persuadere mihi non possum, ac ne si possem quidem, hoc loco id significare concederem. Quoniam enim *senatus* et *in urbe* proxime antecedunt verbo *aderat,* quod per se intelligi non potest, qui verba tantum spectat necessario addit vel *in senatu* vel *in urbe.* Qua de causa Muretus in variis lect. X, 20 vestigia quaedam codicum secutus pro *aderat* legi voluit *ad urbem erat.* Sed ne id quidem satis placet. Quid enim? Scipionis oratio qua de causa ex Pompeii ore missa esse videri potuit? Nimirum hanc ob unam, quod Pompeius in senatu non aderat; nam si adfuisset, quid sibi placeret ipse ostendere potuisset. Iam utrum ad urbem esset Pompeius an longius abesset ad rem nihil omnino intererat. Nam cum consultatio illa iam diu impenderet, quid fieri vellet Scipioni mandare potuit, ubicumque in Italia versabatur. Itaque si *ad urbem erat* Caesar scripsisset, immiscuisset aliquid quod nihil faceret ad sententiam melius intelligendam. Huc accedit quod ita duo membra sententiae causalis inter se prorsus aequalia essent, ea igitur quae per particulam *que* non recte coniungerentur. Quae cum ita sint cum Victorio scribi volo *aberat;* quo facto quae modo notavi vitia orationis bene evitantur.

ex ipsius eius ore mitti videbatur. Cuius summa haec erat: dimitteret Caesar ante certam diem exercitum; si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri. Secunda sententia erat M. Marcelli, qui optimatium causam amplexus haec fere censuit, non oportere ante de ea re ad senatum referri quam delectus tota Italia habiti exercitusque conscripti essent, quo praesidio tuto et libere senatus quae vellet decernere auderet. Denique M. Calidius, cuius sententiam M. Coelius Rufus paucis fere mutatis rebus sequebatur, Caesaris patrocinio suscepto decrevit ut Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa; timere Caesarem ereptis, duabus legionibus ab eo ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur.

Harum sententiarum ea quam Marcellus dixerat accommodata erat tempori, non remota a dignitate senatus, saluberrima ipsis Pompeianis. Ac ne in Calidii quidem sententia Pompeiani valde offendere poterant; remisit enim multum de Caesaris postulatis, ita multum ut eius rationibus valde officere videretur. Tamen neutra sententia consuli probata est, ne ita quidem ut discessionem in eam facere vellet. Perterruit Marcellum conviciis ut ipse a sua sententia discederet, Calidii vero sententiam pronuntiaturum se omnino negavit.[6] Quo facto cum neque optimatibus ullius rei electio relicta esset neque qui pacis auctores erant, cum utrimque arma instarent, quid sequerentur haberent, vocibus consulis, terrore praesentis exercitus, minis amicorum Pompeii impetratum est ut in Scipionis sententiam senatus consultum fieret, assentientibus omnibus praeter M. Coelium et C. Curionem.[7]

[6] In potestate consulum fuisse utrum persequi vellent aliquam sententiam necne, pluribus ostendi in libro meo, qui inscriptus est der römische Senat zur Zeit der Republik, Berlin 1847.

[7] Dio XLI, 2: Τὸν μὲν Πομπήϊον οὐδεὶς ἀπαλλαγῆναι ἐκ τῶν ὅπλων ἐψηφίσατο, (ἐν γὰρ τῷ προαστείῳ τὰς δυνάμεις εἶχε)· τὸν δὲ δὴ Καίσαρα πάντες πλὴν Μάρκου τέ τινος Καικιλίου καὶ τοῦ Κουρίωνος τοῦ τὰ γράμματα αὐτοῦ κομίσαντος. Pro M. Caecilio scribendum esse M. Coelium recte ex Orosio VI, 15 docuit Fabricius; Coelium enim iam ante Kal. Ian. ad Caesaris partes transiisse cognoscimus ex Cic. ep. ad fam. VIII, 14 et 15 et ad Att. VII, 3.

Intercesserunt M. Antonius et Q. Cassius, tribuni plebis, neque principes civitatis rogando neque maiores natu monendo neque frequens senatus clamore prope concionali movere eos potuit ut intercessionem remitterent. Ita hoc quidem die magna omnium querimonia infecta re discessum est.

Postero die[8] retulerunt consules de intercessione. Dictae sunt sententiae gravissimae, senatui placere Caesari quam primum succedi, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi, qui aliter fecisset aut qui ulla ratione rem impedivisset, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum. Sed quamquam quid Pompeius cuperet voces consulum et concursatio contentioque amicorum Pompeii ita aperuerant ut nemini dubium esset et quamquam ut quisque acerbissime crudelissimeque dixerat ita maximo plausu gratulatio ei a ceteris significabatur; tamen, ubi facta est discessio, maior pars severis sententiis relictis in leniorem transiit, placere senatui agi cum tribunis de intercessione.

Neque est quod in ea re offendamus. Etsi enim eo iam res erat perducta, ut Caesari provincias adimi plurimi senatores aequo animo ferrent, multi etiam magno opere cuperent, suam tamen operam interponere nolebant nisi fieri posset legibus salvis. Nam cum crimine tantam difficultatem suscipere et Caesari novarum rerum cupidissimo belli inferendi causam iustissimam ultro praebere, hanc agendi rationem non modo qui soli paci stude-

Verisimile igitur est M. Calidium eo die in senatu non adfuisse, nisi Dio falso tradit omnes praeter duos in Scipionis sententiam transiisse.

[8] Caesar b. civ. I, 2 et 3 quae duobus diebus assignavimus unius spatio videtur comprehendere. Sed cum tempora quando quidque gestum sit accurate non notet et cum paullo infra narret duobus diebus comitialibus, qui sunt tertius et quartus huius mensis, senatum habitum non esse et totum negotium confectum esse quinque primis diebus quibus senatus haberi potuerit, ratio dierum optime constare videtur, si quae Pompeius ad patrum animos confirmandos suscepit illi negotiorum intervallo attribuimus. Cuius sententiae luculentum auctorem nacti sumus Cassium Dionem, qui XLI, 2 haec narrat: Ἔδοξε μὲν οὖν ταῦτα· οὐ μὴν καὶ κυρωθῆναί τι αὐτῶν, οὔτε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ οὔτε ἐν τῇ ὑστεραίᾳ ὅ τε Ἀντώνιος καὶ ὁ Λογγῖνος ἐπέτρεψαν.

bant sed etiam optimatium multi et sibi periculosam ducebant et perniciosam ipsi Pompeio.

Ille vero perquam moleste rem tulit. Evenit tum Pompeio quod saepe viatoribus, ut, si serius quam voluerint forte surrexerint, properando non serius, quam si de nocte vigilassent, quo velint pervenire studeant. Tamdiu enim cum indormivisset in adversario custodiendo, repente excitatus invidia et metu, cursu corrigere coepit pristinam tarditatem. Incensus igitur cupiditate, irritatus clade quam modo acceperat, stimulatus vocibus amicorum qui eo duce freti peropportunam et rebus domesticis et libidinibus suis illius belli victoriam fore putabant, nihil inexpertum omittere constituit quo senatum ad extrema consilia impelleret et omnia impedimenta uno impetu devinceret ac perfringeret.

Consecuti sunt duo dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Opportunum videbatur tempus esse ad propositum exequendum. Misso igitur ad vesperum senatu omnes qui eius ordinis erant evocavit. Laudavit atque in posterum confirmavit strenuos, castigavit atque incitavit segniores, omnibus quid fieri vellet proposuit. Quod concordiae et pacis causa tanta patientia Caesaris iniurias tulissent, ante hunc diem se non vituperasse; immo ipsum iis huius rei auctorem extitisse. Etiamsi enim patientia illa celeritas de causa detracta esset, boni tamen aliquid ad eam accessisse, quod omnes intelligerent rem esse cum eo hoste, quocum pacis conditio esse nullo modo posset. Nunc vero, ubi manifesta esset consiliorum Caesaris ratio, ubi appareret nihil ab eo quaeri nisi speciem aliquam legis ad potentiam assequendam, ubi nemo negare posset unius hominis nefaria cupiditate et audacia in extremum paene discrimen rempublicam et fortunas omnium adductas esse, dubitare et dies prolatare nihil esse aliud quam opportunitates corrumpere et de victoria adversario ultro concedere. Facto, non consulto in tali periculo opus esse. Quare obsisterent tandem aliquando vanis vulgi opinionibus, caverent ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amitterent, desinerent id expetere quod assequi nullo modo possent. Vi atque armis, cum alia ratione non posset, averti opor-

tere Caesaris conatum a republica et opprimi furorem eius atque audaciam. Qua in re quid ipse eniti aut quid efficere posset malle se in eorum opinione relinquere quam in oratione sua ponere. Id vero promittere se et spondere, si audacter ac fortiter sententias dicere vellent, numquam se reipublicae defuturum.

Hac oratione habita dimisit senatores. Tum ne verbis magis quam rebus eorum animos incitaret, veteranos spe praemiorum atque ordinum evocavit, multos ex duabus legionibus quae traditae erant a Caesare arcessivit, omnes amicos consulum, necessarios suos, eos denique qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant magno opere admonuit ut in senatu qui Nonis futurus erat frequentes adessent. Venerunt Nonae, convenit frequentissimus senatus, relatum est de intercessione, nam agi secum hac de re, ita certe ut consules voluerant, tribuni passi non erant.[9] Completa erat urbs militibus, circumsteterunt curiam tribuni, centuriones, evocati, futuri arbitri moderatoresque publici consilii, in senatu ipso vocibus et concursu Pompeianorum infirmiores terrebantur, dubii confirmabantur, plerisque libere decernendi potestas eripiebatur. Tamen ut neglecta sua incolumitate totos se ad nutum Pompeii accommodarent hoc quidem die patres moveri non potuerunt, ne maximo quidem metu iniecto. Neque enim solum polliciti sunt L. Piso censor et L. Roscius praetor ituros se ad Caesarem ut de his rebus eum docerent et sex dies ad eam rem conficiendam spatii postularunt, sed etiam dicta est a nonnullis sententia ut legati ad Caesarem mitterentur qui voluntatem senatus ei proponerent.

Postero demum die, temptatis ante multis rebus, cum neque vestes ex senatus consulto mutatae[10] neque minae Len-

[9] Cic. II Phil. 21: *Quid cupide a senatu, quid temere fiebat? cum tu unus adolescens universum ordinem decernere de salute reipublicae prohibuisti, neque semel sed saepius, neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es.*

[10] Dio XLI, 3: Ἀγανακτησάντων δὲ ἐπὶ τούτῳ τῶν ἄλλων καὶ ψηφισαμένων τὴν ἐσθῆτα ἀλλάξασθαι, κῦρος μὲν οὐδὲ τοῦθ' ὑπὸ τῶν αὐτῶν (tr. pl.) ἔλαβεν· ἡ μέντοι γνώμη συνεγράφη καὶ τὸ ἔργον τὸ ἀπ' αὐτῆς ἐγένετο. Πάντες γὰρ παραχρῆμα ἐξελθόντες ἐκ τοῦ συνεδρίου καὶ τὴν στολὴν μεταβαλόντες ἐσῆλθον αὖθις καὶ περὶ τιμωρίας αὐτῶν ἐβουλεύοντο.

tuli consulis tribunos movissent et pertinacia eorum ardorque Pompeii summam desperationem pacis attulisset, orationibus consulis, Scipionis, Catonis persuasum est patribus ut omnibus lenioribus remediis abiectis ad extrema consilia decurrerent. Confirmatum igitur est quod antea in Caesarem factum erat senatus consultum, ut ante diem certam exercitum dimitteret, si non faceret, adversus rempublicam facturum eum videri. Deinde in M. Antonium et Q. Cassium, tribunos plebis, qui saluti reipublicae senatum consulere prohiberent, id decretum est quod in hostem togatum decerni est solitum more maiorum.[11] Denique descensum est ad illud extremum atque ultimum senatus consultum, darent operam consules, praetores, tribuni plebis quique pro consulibus essent ad urbem ne quid respublica detrimenti caperet.

His senatus consultis factis Antonius et Cassius furibundi se ex senatu prorumpunt, obtestantur deum hominumque fidem, clamitant sublatam esse intercessionem, conculcatas leges sacratas, circumscriptos et armis notatos ipsos tribunos quos vel verbo violare nefas esset. Tum quasi neque versari in urbe neque excedere ea tuto iam possent, nocte proxima sumpto servili habitu quanta maxima celeritate potuerunt ad Caesarem contenderunt tamquam ad unum quod legibus superesset praesidium et ultimam spem reipublicae.[12]

[11] Cic. II Phil. 21: *Et tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es, cum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis reipublicae iudicatus?* Ex his verbis et ex iis quae sequuntur perspicue apparet senatus decreto, non minis consulum tribunos cessisse. Quare quod Appianus b. civ. II, 33 narrat, οἱ ὕπατοι Μάρκελλός τε καὶ Λέντλος ἐκέλευον τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἀντώνιον ἐκστῆναι τοῦ συνεδρίου, μή τι καὶ δημαρχοῦντες ὅμως πάθοιεν ἀτοπώτερον, ex senatus auctoritate consules id videntur fecisse; quod vero Dio XLI, 3 tradit, tribunos urbe excessisse antequam sententiae perrogatae essent, id recte se non habere cum Ciceronis locus supra allatus tum ipse rerum status evincit; multum enim intererat Caesaris ut vi expulsi, non metu permoti, tribuni viderentur ad se confugisse.

[12] Appian. b. civ. II, 33: Ἔνθα δὴ μέγα βοήσας ὁ Ἀντώνιος ἀνά τε ἕδραμε τῆς ἕδρας σὺν ὀργῇ καὶ περὶ τῆς ἀρχῆς ἐπεθείαζεν αὐτοῖς, ὡς ἱερὰ καὶ ἄσυλος οὖσα ὑβρίζοιτο· καὶ περὶ σφῶν, ὅτι γνώμην ἐσφέροντες ἣν δοκοῦσιν συνοίσειν ἐξελαύνοιντο σὺν ὕβρει, μήτε τινὰ σφαγὴν μήτε μῦσος ἐργασάμενοι. Ταῦτα δ' εἰπὼν ἐξέτρεχεν ὥσπερ ἔνθους, πολέμους καὶ σφαγὰς καὶ προγραφὰς καὶ φυγὰς

XII. DE LEGE PUPIA.

Perscripta esse senatus consulta, quorum mentionem modo fecimus, a. d. VII Id. Ian. ipse Caesar memoriae prodidit. Sed quamquam hunc diem et optimi et plurimi codices praebent et quamquam haec verba Caesaris, quae ad eandem rem pertinent: *tribuni de sua salute septimo die cogitare coguntur*, cum a. d. VII Id. Ian. septimus dies mensis sit, codicum lectionem bene confirmant, tamen de hac re a viris doctis multum dubitatum est et dubitatur etiamnunc. Atque est aliqua huius dubitationis ratio.

Legimus apud Caesarem b. civ. I, 5 haec: *Haec senatus consulta perscribuntur a. d. VII Id. Ian. Itaque V primis diebus, quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali et de imperio Caesaris et de amplissimis viris, tribunis plebis, gravissime acerbissimeque decernitur. Profugiunt statim ex urbe tribuni plebis seseque ad Caesarem conferunt.* In his verbis hoc quidem facile intelligitur, si septimo die senatus consultum factum sit et duo dies comitiorum causa exempti sint, decretum esse de Caesaris salute quinque primis diebus quibus senatus haberi potuerit; quaeritur vero quid sit quod, cum ex septem primis diebus mensis Ianuarii tres comitiales sint, a. d. III Non., pr. Non., a. d. VII Id., biduum comitiale non plus excipiatur.

Ad hanc difficultatem tollendam Vossius extra ordinem comitiali die senatum habitum esse contendit, Ursinus, Oudendorpius, alii corruptum illum locum putantes pro eo quod est

καὶ δημεύσεις καὶ ὅσα ἄλλα αὐτοῖς ἔμελλεν ἔσεσθαι προθεσπίζων, ἀράς τε βαρείας τοῖς τούτων αἰτίοις ἐπαρώμενος. Συνεξέθεον δ' αὐτῷ Κουρίων τε καὶ Κάσσιος· καὶ γάρ τις ἤδη στρατὸς ἑωρᾶτο ἐκ Πομπηΐου περιϊστάμενος τὸ βουλευτήριον. Οἵδε μὲν δὴ τάχει πολλῷ πρὸς Καίσαρα νυκτὸς αὐτίκα λαθόντες ἐχώρουν ἐπὶ ὀχήματος μισθωτοῦ, θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδύντες. Καὶ αὐτοὺς ἔτι ὧδε ἔχοντας ὁ Καῖσαρ ἐπεδείκνυ τῷ στρατῷ καὶ ἠρέθιζε λέγων, ὅτι καὶ σφᾶς τοσάδε ἐργασαμένους ἡγοῦνται πολεμίους καὶ τοιούσδε ἄνδρας ὑπὲρ αὐτῶν τι φθεγξαμένους οὕτως ἐξελαύνουσιν αἰσχρῶς. Cf. praeterea Plut. Anton. 5, Caes. 31, Dionem XLI, 3, Caes. b. civ. I, 5, Cic. II Phil. 21, ad fam. XVI, 11.

a. d. VII Id. Ian. legi iubent *a. d. VIII Id. Ian.* At Vossius neque actum esse tum extra ordinem demonstravit neque, si ita actum esset, cur uno tantum comitiali die senatus habitus esset causam idoneam attulit. Emendatio vero aliorum illam quidem dubitationem tollit, sed aliam neque eam minorem movet; sexto enim die si de salute tribunorum decretum est, cur septimo demum de salute sua cogitare coacti sint omnino non intelligitur. Quae cum ita sint, alia explicandi ratio videtur esse ineunda.

Initium ducemus hinc ut ostendamus comitialibus diebus senatum haberi potuisse. Est autem iis diebus habitus anno 570, cum Q. Fulvius Flaccus, aedilis curulis designatus, praeturam peteret et consul rationem eius habendam esse negaret (Liv. XXXIX, 39), anno 591, cum Ti. Gracchus comitia consulibus rogandis haberet (Cic. de nat. deor. II, 4, de divin. I, 17, ad Q. fr. II, 2), anno 691 a M. Cicerone consule de Catilinae petitione consulatus (Cic. pro Mur. 25), a. 693 de iudicio Clodii (Cic. ad Att. I, 14), anno 698 a. d. XVII et XVI Kal. Febr. de reductione regis Alexandrini (Cic. ad fam. I, 2), a. 703 a. d. XI Kal. Sext. de stipendio Cn. Pompeii et pr. Kal. Octobr. de provinciis consularibus (Cic. ad fam. VIII, 4 et 8), anno 710 a. d. XV Kal. Apr. de provinciis Bruti et Cassii (Plut. Brut. 19), a. d. XIII Kal. Octobr. (Cic. Phil. V, 7), a. d. VIII et a. d. IV Kal. Dec., in quo senatu Antonius, cum de republica relaturus fuisset, allato nuntio legionem quartam defecisse de supplicatione Lepidi retulit (Cic. Phil. III, 8), a. d. XIII Kal. Ian. de honoribus et praemiis bene de republica meritorum et merentium et de provinciis coniuratorum (Cic. Phil. V, 11, ad fam. XII, 22), denique anno 711 a. d. III et pr. Non. Ian. de Antonio (Cic. Phil. VI, 1). Haec exempla dilucide videntur demonstrare non modo extra ordinem et raro, sed etiam saepe et ex legibus senatum comitialibus diebus habitum esse.

Neque obstat huic sententiae senatus consultum, quod anno 703 factum est, ut L. Paullus, C. Marcellus consules ex a. d. Kal. Mart. de consularibus provinciis ad senatum referrent et eius rei causa per dies comitiales senatum habe-

rent.[1] Quoniam enim senatui propositum erat impedire ne quid omnino ex Kal. Mart. antequam de provinciis transactum esset ageretur, cavendum ei erat non modo ne quid prius ad senatum consules referrent, sed etiam ne de ulla alia re cum populo agerent; itaque ut deberent, non ut possent comitialibus diebus senatum habere hoc senatus consulto sanctum est.

At aliud est quod obiiciatur. Lege enim Pupia existimant cautum esse ne comitialibus diebus senatus haberetur. Quae sententia cum nostrae repugnet, necessitatem nobis attulit paullo accuratius inquirendi in ea quae de hac lege memoriae prodita sunt. Inveniuntur autem, cum ceteri scriptores veteres huius legis nullam mentionem faciant, tres loci Ciceronis qui huc pertinere videantur: unus in epistola ad fam. I, 4, quae scripta est anno 698 ad P. Lentulum, proconsulem Ciliciae, de reductione regis Alexandrini: *a. d. XVI Kal. Febr. cum in senatu pulcherrime staremus, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus, unumque certamen esset relictum, sententia Volcatii, res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis. Causam enim frequenti senatu, non magna varietate, magna invidia eorum, qui a te causam regiam alio traferebant, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo iustiorem, paene etiam amicum. Caninius et Cato negarunt se legem ullam ante comitia esse laturos. Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam, id quod scis, non potest, neque mense Februario toto nisi perfectis aut reiectis legationibus.* Alter extat in epistola ad Quintum fratrem II, 2, quae ad eandem rem pertinet et a. d. XIV Kalendas Februarias anni 698 data est: *De rege Alexandrino factum est senatus consultum, cum multitudine eum reduci periculosum reipublicae videri. Reliqua cum esset in senatu contentio, Lentulusne an Pompeius reduceret, obtinere causam Lentulus videbatur. In ea re nos et officio erga Lentulum mirifice et voluntati Pompeii praeclare satisfecimus; sed per obtrectatores Lentuli calumnia extracta est. Consecuti*

[1] Cic. ad fam. VIII, 8.

sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat; tertius denique in epistola ad eundem II, 13, quae anno 700 scripta est: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia* (id est a. d. XIII Kal. Mart.) *sequuntur, Appius* (consul) *interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum, et, quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis senatum quotidie dari: ita putantur detrudi comitia in mensem Martium. Sed tamen his comitialibus tribuni plebis de Gabinio se acturos esse dicunt.*

Ex his locis colligitur primum non omnes dies comitiales lege exceptos fuisse; neque enim cur secundo loco additum esset *per quos senatus haberi non poterat* intelligeretur, nisi ita fuisset, neque quomodo salva lege a. d. XVII et XVI Kal. Febr., qui dies erant comitiales, senatus haberi potuisset, id quod factum esse Cicero primo loco perspicue tradidit. Deinde apparet non solum ad comitiales, sed etiam ad alios dies legem pertinuisse; nam pr. Kal. et a. d. III Kal. Febr., quibus diebus per legem Pupiam senatum haberi non potuisse Cicero eodem loco docet, non sunt dies comitiales. Sequi igitur videtur continuum quoddam tempus anni exemptum fuisse lege, non singulos uniuscuiusque mensis dies.

Atque initium illius temporis facile est ad definiendum. Quoniam enim Cicero VI Phil. 1 a. d. III et pr. Non. Ian., et ad Att. I, 14 a. d. XVII et XVI Kal. Febr., qui dies omnes comitiales sunt, senatum habitum esse tradit et posteriore loco addit postea usque ad Kal. Febr. senatum haberi non potuisse, consentaneum videtur esse ex a. d. XV Kal. Febr. initium capere tempus lege praefinitum. Difficilius vero est quando exierit invenire.

Qua de re si primum Ciceronis locum solum spectamus, in eam opinionem adducimur ut usque ad Kal. Febr. illud tempus pertinuisse putemus; nam de reductione regis Alexandrini in senatu agi non potuit ante Kal. Febr. per legem Pupiam, mense Februario toto per legem Gabiniam.[2] At non conveniunt in hanc

[2] Ciceronis verbis *nisi perfectis aut reiectis legationibus* hanc legem significari docet aperte tertius eorum locorum quos supra de lege Pupia attulimus. Praeterea ad legem Gabiniam pertinent hi loci Ciceronis: ad

sententiam quae tertio loco Cicero de Appio Claudio consule narrat. Appius enim interpretatus esse dicitur se lege Pupia non impediri quominus comitialibus diebus qui Quirinalia sequerentur senatum haberet. Quid vero? si Kalendae Febr. lege praefinitae erant, cur Appius interpretandi laborem suscepit? Aut causa ei nulla fuit aut legem removere voluit qua lege omnino non tenebatur. Quorum utrumque absurdum est. Illa igitur dies lege praestituta non erat.

Relinquitur ut aut longiorem aut nullam omnino diem lege praefinitam fuisse putemus. Fac longiorem, qua dies comitiales de quibus Appius certabat perspicue comprehensi fuerint: quid, si ita fuisset, suscepisset Appius? Certe aliquid quod exitum non habuit. An locus datur interpretationi, ubi nulla est dubitatio? Dubitatio autem quae esse potuisset, si tempus quo consules lege tenerentur nominatim ei fuisset adscriptum? At enim derogatum est legi Pupiae Gabinia. Esto; sit derogatum, quamquam quibus argumentis id contendatur ego quidem non video; quid postea? quo iure Appius postulatum suum interposuerit iam apparet, cur dubitaverit non item. Nam semper ita a Romanis habitum observatumque est, ut ius ratumque haberetur quod postremum populus iussisset. Videsne hac ratione rem expediri nullo modo posse et necesse nobis esse ad alteram confugere?

Statuimus igitur legem certa die non praefinita sanxisse ut consules antequam negotia quaedam confecissent senatum ne haberent. At ne sic quidem ex difficultatibus emersimus. Intelligitur sane facile quomodo factum sit ut Cicero, quo loco de

Att. I, 14: *senatus et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decernebat, ut ante quam rogatio lata esset ne quid ageretur,* ad Q. fr. II, 3: *a Kal. Febr. legationes in Idus Febr. reiiciebantur,* ad eundem II, 12: *de Commageno quod rem totam discusseram, mirifice mihi et per se et per Pomponium blanditur Appius. Videt enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum.* Quibus ex locis facile cognoscimus legem Gabiniam sanxisse ut consules, nisi legationes a senatu nominatim essent reiectae, ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. quotidie legatis senatum darent, quoad res esset confecta. Quae alia exceptio facta sit infra docebimus.

Lentuli causa agit, ad mensem Februarium illam legem pertinere negaret; spectat enim quod fieri solebat neque curat quod extra ordinem interdum factum est, atque eo magis quo minus ad rem Lentuli intererat Pupiane lex impedimento esset an Gabinia. Quomodo vero Appius interpretando efficere potuerit ut dies comitiales qui Quirinalia sequerentur a lege liberi essent ac soluti, id ne hac quidem sententia accepta satis apparet. Primum enim quaeritur quid sit quod Appius, cum negotia illa quibus lex consuluerat hoc anno nondum confecta essent, a Kalendis Febr. usque ad a. d. XIII Kal. Mart. salva lege senatum habuerit, post illum diem cum eo agere dubitaverit. Quam rem explicare non possumus, nisi additum erat legi ut consules, si Kalendis Febr. legi nondum satisfecissent, illos quidem dies liberos haberent, postea vero ne quid prius agerent quam quae praescripta essent lege perfecissent. Deinde ut nodum expediamus, utique nobis statuendum est Pupiam legem tempore antecessisse Gabiniae. Ea enim est natura legis Pupiae ut post Gabiniam lata esse non possit quin nominatim illi derogaret; quo facto nulla fuisset Appio occasio interpretandi. Contra ea si Pupia lex antiquior fuit, quid in interpretatione sua ille secutus sit non iam in occulto latet. Ita enim res acta esse potest. Lex Gabinia constituerat ut, nisi legationes reiectae aut perfectae essent, ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis senatus quotidie daretur, deinde ut reiiciendi potestas penes senatum esset, denique ut senatus reiiceret, si qua res gravior incidisset aut alia lex obstaret de qua nominatim derogatum non esset. Iam senatus hoc anno legationes non reiecerat, sive quod confectas eas fore ante Quirinalia putabat sive quod Appius de hac re non consuluerat. Data igitur est illi, si legi Pupiae fraudem facere voluit, satis commoda defensio; dicere enim potuit derogatum esse legi Pupiae eatenus ut negligeretur si legationes reiectae non essent, reiectas eas non esse, ergo cur Pupia, ac non potius Gabinia lege teneri se putaret nullam esse causam.

Dices callidam eam esse interpretationem, nimis artificiosam, responsione paene indignam. Quis negat? Sed verbo ac littera ius omne torquere patrius mos erat principum Romanorum et

Appium illum ab hoc more non abhorruisse bene ostendunt hi loci Ciceronis: ad fam. I, 9, 25: *Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset, se paraturum cum collega tibique successurum; legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse; se, quoniam ex senatus consulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset;* ad Att. IV, 16: *Pomptinius vult a. d. IV Non. Novembr. triumphare. Huic obviam Cato et Servilius praetores aperte et Q. Mucius tribunus. Negant enim latum de imperio; et est latum hercule insulse. Sed erit cum Pomptinio Appius consul;* ad Att. IV, 18: *consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse et suus competitor Domitius cum consulibus* (Appio Claudio et L. Domitio) *fecisset, uti ambo HS quadragena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tris augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quae lata non esset, et duo consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset.* Sed de Appio satis dictum est; nunc ut instituimus proficisci ordine ad reliqua pergemus.

Sequitur, cum ad quos dies lex Pupia pertinuerit pateat, ut num iis ipsis diebus senatus haberi nullo modo potuerit quaeramus. Qua de re quamquam ex iis locis quos supra attulimus, si recte et sine cupiditate iudicare volumus, id tantum efficitur, consuli senatum non potuisse de legationibus neque de causa regis Alexandrini, tamen ex his rebus de ceteris coniecturam facere non dubitavissemus, nisi moram nobis iniecissent ea quae de Clodii iudicio Cicero ad Atticum scripsit.[3] Nuntiavit autem ille amico Kal. Ian. a. 693 P. Clodium cum veste muliebri deprehensum esse domi Caesaris, cum apud eum pro populo fieret, eamque rem esse insigni infamia; deinde a. d. VI Kal. Febr. addidit Q. Cornificium in senatu rei mentionem fecisse, rem ex

[3] Cic. ad Att. I, 12, 13, 14.

senatus consulto ad pontifices esse relatam idque ab iis nefas esse decretum, postea consules ex senatus consulto rogationem promulgasse ut de hac re a praetore iudices legerentur quo consilio idem praetor uteretur; denique Id. Febr. haec scripsit: *Cum dies venisset rogationi ex senatus consulto ferendae, concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis, et populum ut antiquaret rogabant. Piso autem consul, lator rogationis, idem erat dissuasor. Operae Clodianae pontes occuparant; tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur 'uti rogas'. Hic tibi rostra Cato advolat, convicium Pisoni consuli mirificum facit; si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. Accedit eodem etiam noster Hortensius, multi praeterea boni. Insignis vero opera Favonii fuit. Hoc concursu optimatium comitia dimittuntur; senatus vocatur. Cum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam; homines ad XV Curioni nullum senatus consultum facienti assenserunt; ex altera parte facile CCCC fuerunt. Acta res est.* Ex hoc loco elucet senatum habitum esse eodem die quo comitia. Comitia autem habita non sunt neque ante VI Kal. Febr. neque post Kal. eiusdem mensis; illo enim die scripsit Cicero ad Att. I, 13 promulgatam esse rogationem, post Kal. autem usque ad Idus, quo die lex ad populum iam lata erat, nulli sunt dies comitiales. Sequitur ut hoc quidem anno senatus habitus sit uno die ex iis ad quos lex Pupia pertinuit. Quodsi ita est et si de legationibus et causa Alexandrina iisdem diebus senatus haberi per legem non potuit, aut extra ordinem et contra legem de Clodio actum est aut de aliis rebus agere licebat, de aliis non item. Iam illud quidem credi non potest; nam Fufius tribunus plebis, qui Clodii causam receperat et senatus consulto illo die facto magna contentione repugnabat, hanc amplam intercedendi occasionem non omisisset. Necessario igitur in hanc sententiam adducimur ut rerum de quibus senatus consuleretur discrimen aliquod lege institutum fuisse putemus.

Quod discrimen quale fuerit veterum scriptorum nullus in-

dicat neque ipsi invenimus quod pro certo putaremus. Acquiescendum est igitur nobis, cum veritas ipsa in occulto lateat, in similitudine veri. Quam consecuti esse nobis videmur, si statuimus senatum consuli potuisse de omnibus rebus de quibus cum populo ipsis iis diebus agi lex iussisset. Hae autem quae fuerint ut ostendam paullo altius nobis repetendum est.

Decrevit senatus mense Februario anni 693 et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus ut ante quam rogatio de iudicio Clodiano lata esset ne quid ageretur. Deinde anno 698 eodem mense reiectis legationibus in Idus relatum est de provinciis quaestorum et de ornandis praetoribus.[4] Adde huc quod consules iure suo postulare poterant ut priusquam de praetorum exercitibus ageretur suae provinciae ornarentur,[5] quod imperatorum qui stipendium postularunt litterae initio anni in senatu recitabantur,[6] quod legationibus mense Februario quotidie senatum dari ex lege Gabinia oportebat; iam intellexeris primos cuiusque anni menses tractandis iis rebus quae ad provincias exterasque gentes pertinerent destinatos fuisse. Quid igitur? si lege Pupia statutum esse dicimus ut magistratus ex a. d. XV Kal. Ian. ordinandis rebus urbanis quae quidem salvo publico commodo differri non possent operam darent, nonne id dicimus quod cuivis probare debeamus?

Erant autem multae res urbanae quas transigi initio anni oporteret, quas omnes ut accurate enumeremus neque in nostra potestate situm est neque instituti nostri ratio postulat. Unam satis erit commemorasse. Magistratus minores qui viginti sex virorum nomine comprehenduntur a populo creatos esse docet Cicero de lege agraria II, 7: *omnes potestates, imperia, curationes ab universo populo Romano proficisci convenit* et Festus p. 347 ed. Mueller: *qua de re* (de sacramento) *lege L. Papiri tr.*

[4] Cic. ad Att. I, 15 et ad Q. fr. II, 3.

[5] Liv. XL, 36: *Disceptationem inter praetorem legatumque consulum relatio interrupit, qui suas ornari provincias, priusquam de praetoris exercitu ageretur, aequum censebant.*

[6] Vide Liv. XXIII, 21, XL, 35. Sallust. frg. p. 244 ed. Gerlach et ibidem p. 230 epistolam Pompeii, de qua initio anni relatum esse confici potest ex Plutarcho in vita Luculli c. 5.

pl. sanctum est his verbis: Quicumque praetor post hoc factus erit, qui inter cives ius dicet, tres viros capitales populum rogato et idem p. 233: *praefecturae eae appellabantur in Italia, in quibus et ius dicebatur et nundinae agebantur, et erat quaedam earum res publica, neque tamen magistratus suos habebant. In qua his legibus praefecti mittebantur quotannis qui ius dicerent. Quorum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire praefecti quattuor viginti sex virum nū pro populi suffragio creati erant, in haec oppida* cet. Iam quo tempore ii magistratus quorum certus ordo erat creabantur, illi minores creati non sunt; nam comitiis eorum praetor praefuisse traditur, cuius in magistratu ipsi munere functuri erant. Deinde Cicero ad Q. fr. II, 13 eo quod Appius consul legem Pupiam negligeret factum iri putavit ut comitia in mensem Martium detruderentur. Atqui comitiorum vox, si res ad quam transigendam convocata sunt non apponitur, significat fere comitia rogandis magistratibus, magistratus autem qui tum creari potuissent nulli erant praeter illos minores. Verisimile igitur est cum aliis rebus tum praecipue his magistratibus legem providisse, ne comitia eorum ambitione potentium impedirentur aut iusto nimis tardarentur. Ultra autem quo progrediamur, quam ut verisimile videamus, ne in hac quidem causa habemus.

Itaque ut quae de lege Pupia disputavimus complectamur et sub uno aspectu ponamus, haec fere videtur fuisse legis sententia: ut consules praetores tribuni plebis, quibus eorum ex legibus id munus futurum esset, ex a. d. XV Kal. Febr. et comitia minoribus magistratibus rogandis haberent et ceteras res urbanas quae dilationem non paterentur curarent deque his rebus cum populo agerent et, si opus esset, ad senatum referrent, neve quid prius aut coniunctim agerent utique, si Kalendis Februariis eae res nondum confectae essent, eas ex a. d. XII Kal. Mart. transigerent iis diebus qui comitiales essent.

Restat nunc ut de tempore legis pauca dicamus. Qua de re quod Pighius censet latam esse legem a M. Pupio tribuno plebis anni 529, in eo nisi inanem nominis similitudinem nihil est secutus. Neque Bekkerus, qui in antiquit. Rom. II, p. 417 hanc

quaestionem attigit, prudentius in ea versatus est. Primum enim errat, quod ante annum 699 huius legis mentionem factam esse negat; inest enim aperta eius significatio in his verbis orationis Sestianae c. 34: *consecuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos senatum haberi liceret,* quae verba ad annum 697 pertinent. Deinde M. Pupium Pisonem consulem anni 693 legem tulisse, id quod verisimile esse Bekkero videtur, credere nullo modo possumus. Eo enim anno quo Piso ille consul fuit duo primi menses.iudicio Clodii adeo consumpti sunt, ut provinciae legitimo tempore ornari non possent (ad Att. I, 14); qua re factum est ut Pisoni non solum provincia quam cupide expetebat prorsus adimeretur (ib. I, 16, 8), sed etiam quaestus quem ex legationibus consules capere solebant (ad Q. fr. II, 12) valde impediretur. Quid igitur? qui externis rebus tractandis tempus ademptum esse molestissime ferebat, eum credamus legem tulisse quae id ipsum quod moleste ferebat sanciret? Non credimus; neque enim memoriae proditum est neque est verisimile. Quodsi praeter has sententias nulla quod sciam a viris doctis de re in controversiam vocata proposita est, nullam video causam quin in eo quod supra ex epistola ad Q. fr. II, 13 collegimus, antiquiorem esse legem Pupiam Gabinia, perseveremus. Addo nunc antequam magistratus Kalendis Ianuariis iniri coepti sint legem Pupiam latam non esse, id quod ipsa legis sententia docet. Iam apparet legem latam esse ante annum 687 et post annum 601. Accuratius tempus definire non possumus.

His expositis ad verba Caesaris reverti licet, quorum causa in hunc locum disputatio nostra deflexit. Ostendimus autem primum comitialibus diebus qui lege Pupia excepti non essent liberum fuisse consulibus de omnibus rebus ad senatum referre, deinde ad illos duos dies, quibus senatum haberi potuisse Caesar negavisset, qui sunt a. d. III et pr. Non. Ian., illam legem non pertinuisse, denique iis ipsis diebus anno 711 senatum habitum esse. Quibus ex rebus efficitur, de Caesaris causa si consules iis diebus senatum consulere voluerint, neque lege Pupia neque eo quod comitiales illi dies essent impeditos eos fuisse quominus consulerent. Quare cum Caesar ipse perspicue signi-

ficet voluisse eos quidem senatum habere, sed non potuisse, cur non possent aliam causam fuisse necesse est.

Iam ex iis quae supra disputavimus apertum est multum interfuisse Pompeii ad animos patrum confirmandos et ad alias res quae usui essent praeparandas ut quae de provinciis institutae erant actiones nonnullos dies intermitterentur. Item facile est ad intelligendum Pompeii rationes tulisse ut differendae rei causa quam revera habuit occultata aliud inveniret quod cunctationi suae honeste posset praetendere. Quodsi comitialibus diebus, quamdiu comitia habebantur, cum senatu agi nullo modo potuit, verisimile videtur esse subornavisse Pompeium quosdam tribunos ut rogationes quas promulgatas haberent illis ipsis diebus ad populum ferrent. Caesar certe cur ex hoc invento Pompeiano criminandi materiem peteret nulla causa erat; nam ut omnia raptim acta esse doceret coartandum erat ei quam maxime tempus quo senatus haberi potuisset. Aliud vero quod huic sententiae obstaret mihi quidem occurrit nihil. Inventum igitur esse puto utrumque, et cur, cum tres fuerint dies comitiales, uno in senatu actum sit, duobus reliquis non item, et cur Caesar neget potuisse agi his duobus.

XIII. QUEM MOREM SENATUS IN DECERNENDIS PROVINCIIS SECUTUS SIT.

Reliquum est ut quae decreta sint a senatu ex a. d. VII Id. Ian., quo die tribuni ex urbe effugerunt, usque ad ipsas Idus, quo die Rubiconem transitum esse docebimus, oratione nostra persequamur. Sed quoniam illis diebus patrum maxima cura in decernendis ordinandisque provinciis versabatur, hanc partem disputationis nostrae conficere et absolvere non poterimus, nisi antea quid de hoc genere legitimum fuerit aut certe usitatum paucis exposuerimus.

Erat autem ratio atque ordo quem ad hoc negotium administrandum senatus adhibebat alius alio tempore. Ac sexto quidem

urbis saeculo, ex quo tempore res Romanae a Livio uberius conscriptae atque illustratae sunt, consules Idibus Martiis, quo die eo tempore magistratum inire solebant, de republica bellisque gerendis exercitibusque, quantum copiarum et ubi quaeque essent, patres in Capitolio consulebant. Communis erat de provinciis consulum relatio, nec de suis modo sed etiam de provinciis praetorum eorumque quibus imperium prorogaretur.[1] Senatus deinde nominabat provincias minoris negotii praetoribus, maiores, imprimis ubi bellum gerendum esset, consulibus; reliquas prorogabat iis qui proximo anno illis praefuerant.[2] Quo facto, nisi consules alter ambove nominatas provincias aspernati senatus consulto intercesserant, praetores sortiri, consules vel sortiri vel inter se comparare provincias iubebantur; interdum tamen, ubi in periculis et asperis temporibus sortis incerto eventui rempublicam committi non placuerat, sine sorte nominatim provinciae datae sunt magistratibus. Quotiens igitur senatus nominaverat tantum provincias, non nominatim assignaverat; consulibus statim, praetoribus sortitione facta exercitus aliaque provinciae ornamenta decernebat; quotiens vero vel nominatim provincias consulibus dederat vel eandem utrique decreverat, ita ut sortitione opus non esset, simul consulares et praetorias provincias ornabat postquam praetores sortiti erant. Consulibus enim priusquam sortirentur provincias ornari placuit, ne quid gratia momenti faceret; praetorum autem ratio dissimilis fuit, quod eos, ne iurisdictio intermitteretur, primo quoque tempore sortiri oportuit.[3] Hunc ordinem tamquam usitatum et legitimum patres servasse ex iis quae initio cuiusque anni de distributione provinciarum Livius tradit recte nobis videmur collegisse. Neque tamen negamus patres interdum ad novos casus temporum novorum consiliorum rationem accommodasse; nam in pace parere solebant illi quidem consuetudini, in bello vero utilitati.

Mos quem modo descripsimus mansit usque ad septimum

[1] Liv. XXVI, 28, XXXVIII, 42, XXIV, 43.

[2] Liv. XXXIII, 43. Ita factum est ut eadem provincia alio anno consularis esset, alio praetoria.

[3] Liv. XLIII, 12 et 15.

urbis saeculum. Posteaquam vero institutis quaestionibus perpetuis praetores in urbe magistratum gerere coeperunt[4] et paullo post propter rerum urbanarum perturbationem ut consules quoque defuncti magistratu in provincias proficiscerentur in consuetudinem venit, non potuit fieri quin etiam de distribuendis ornandisque provinciis multa immutarentur.

Mutandi initium factum est anno 632 a C. Sempronio Graccho tribuno plebis. Instituit autem lex Sempronia duas res: alteram ut senatus quotannis ante comitia consularia provincias futuris consulibus decerneret, alteram ne tribuni impedimento essent quominus ex hac lege senatus de provinciis ageret eorumve qui provinciis praeessent cui vellet successorem mitteret, dummodo ne ei imperium adimeret, cui nominatim in longiorem diem datum esset. Atque illud quidem perspicue apparet ex Sall. Iug. 27: *lege Sempronia provinciae futuris consulibus Numidia atque Italia decretae* et ex Cic. de domo 9: *tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit a senatu, sed etiam ut necesse esset quotannis constitui per senatum lege sanxit, eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti* et ex eiusdem oratione de prov. cons. 2: *quattuor sunt provinciae, patres conscripti, de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas. — Decernendae nobis sunt lege Sempronia duae.* De intercessione vero quae diximus do-

[4] Ut praetores in urbe magistratu fungerentur et postea in provincias cum imperio proficiscerentur factum non est ante C. Marium, qui anno 640 praetor fuit (Cic. de off. III, 20) et ex praetura ulteriorem Hispaniam sortitus esse a Plutarcho Mar. 6 traditur. Ac ne tum quidem id in morem videtur venisse; neque enim aliud exemplum occurrit ante Sullae dictaturam. Quare cum, antequam a Sulla quaestionum perpetuarum numerus auctus est, causa nulla esset cur praetores in urbe retinerentur, Sullanum institutum fuisse puto ut defuncti magistratu in provincias abirent. Consules vero quominus in ipso magistratu paludati exirent, ne post Sullam quidem leges fuerunt quae obstarent. Ostendunt id multa exempla. Vide de L. Lucullo Liv. epit. 94, Plut. Luc. 6, de consulibus anni 694 Cic. ad Att. I, 19 et 20, de M. Crasso Cic. ad Att. IV, 13 et Dion. XXXIX, 60, de Hirtio et Pansa Cic. ad fam. XII, 14. Praeterea ipsis Kal. Ianuariis consules provincias vacuas habere oportebat, sine dubio ne impedirentur si exire ipsis placeret. Qua de re vide Cic. or. de prov. cons. c. 15 cum nota Garatonii.

cuerunt nos duo loci eiusdem orationis de provinciis consularibus, alter in cap. 7: *atqui duas Gallias qui decernit consulibus duobus, hos retinet ambo* (Pisonem et Gabinium): *qui autem alteram Galliam et aut Syriam aut Macedoniam, tamen alterum retinet et in utriusque pari scelere disparem conditionem facit. Faciam, inquit, illas praetorias, ut Pisoni et Gabinio succedatur statim. Si hic* (tribunus quidam) *sinat: tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non potest. — Numquam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit;* alter in cap. 15: *illae sententiae virorum clarissimorum minime probandae sunt, quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. Qui ulteriorem, omnia illa, de quibus disserui paulo ante, perturbat, simul ostendit eam se sancire legem, quam esse legem neget, et quae pars provinciae sit, cui non possit intercedi, eam se avellere, quae defensorem habeat, non tangere: simul et illud facit, ut, quod illi a populo datum sit, id non violet, quod senatus dederit, id senator properet auferre.*

His expositis de sententia legis Semproniae patere arbitraremur, nisi scrupulum quendam iniicerent quae Cicero pro Balbo c. 27 dixit: *senatus in angustiis aerarii victorem exercitum stipendio affecit, imperatori* (Caesari) *decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit,* et quae in eandem sententiam ad fam. I, 7 scripsit: *et stipendium Caesari decretum est et decem legati et ne lege Sempronia succederetur facile perfectum est.* Quoniam enim verba *lege Sempronia Caesari succeditur* significare possunt *succeditur Caesari quod lege Sempronia imperium amplius retinere ei non licet,* dubitari potest an illa lege provinciarum praesidibus certum aliquod tempus praescriptum sit, quo circumacto eorum quemque decedere oporteret. Quem scrupulum quae evellerent haec invenimus. Et primum quidem si, quo anno oratio de provinciis consularibus habita est, Caesaris provincias senatus futuris consulibus decrevisset, retinuisset ille, cum consules magistratu deposito provincias inirent, Galliarum imperium per quattuor annos; si Pisoni aut Gabinio successum esset, extracti ii essent ex provinciis post biennium. Credibile autem non est neque in tantum temporis spatium,

quantum Caesari datum est, legem Semproniam imperia produxisse neque praescripsisse de hac ratione aliud in aliis hominibus. Deinde legimus in primae Philippicae capite 8: *quae lex melior, utilior, optima etiam republica saepius flagitata, quam ne praetoriae provinciae plus quam annum neve plus quam biennium consulares obtinerentur;* ex quo loco elucet ante legem Iuliam nihil constitutum fuisse de tempore per quod in provinciis cum imperio versari liceret. Denique verba *lege Sempronia Caesari succedendum esse senatus censuit* idem fere significant quod haec *lege Sempronia provinciae futuris consulibus duae Galliae decretae sunt,* quae verba de eadem re Sallustius et Cicero in locis quos antea attulimus usurpare non dubitarunt, quamquam quas provincias senatus decerneret lex nominatim non praescripsit. Neque iniuria. Quoniam enim lex iussit senatum quotannis binas provincias decernere eique permisit ut eligeret quas vellet, quas decreverat eae decretae erant lege Sempronia et qui provinciae praeses senatus consulto decedere iussus erat ei successum erat eadem lege. Itaque si tum Caesari successum esset, recte dici potuisset successum ei esse lege Sempronia; quamquam nisi senatus consultum accessisset salva lege illa in provincia remanere potuisset. Sed redeamus in viam.

Tulerat hanc legem Gracchus, ne postea in decernendis provinciis gratia regnaret. Quare quod antea eandem ob causam cautum erat, ne consules nisi ornatas provincias sortirentur, id iam sine magno periculo negligi potuit. In morem igitur venit ut senatus mense Iunio vel Quintili ante comitia provincias nominaret, quas qui consules proximi anni futuri essent non proximo sed tertio demum anno defuncti magistratu adirent, consules deinde provincias sortirentur antequam ornatae essent, plerumque etiam antequam ipsi magistratum iniissent,[5] id quod antea nisi difficili reipublicae tempore factum numquam erat. Atque haec de consularibus provinciis mutavit lex Sempronia.

[5] Cic. ad Att. III, 24 *Numquam,* inquit, *arbitror ornatas esse provincias designatorum,* a Sallustio deinde Iug. 27 Metellus et Silanus, a Cicerone in Verr. III, 95 Hortensius antequam consulatum inissent provincias sortiti esse traduntur.

Ad praetorias pertinuisse non videtur. Verum cum consulares provinciae decerni vix possent quin de praetoriis simul constaret, praetoriae eodem fere tempore nominari et, nisi quid moram attulerat,[6] paullo post in sortem coniici solebant, ita tamen ut non qui designandi essent sed qui tunc essent praetores eas sortirentur et proximo anno susciperent. Cuius sententiae haec habemus argumenta. Anno 691 et 695 provincias praetorum antequam magistratu se abdicaverint non solum nominatas sed etiam in sortem coniectas esse perspicue docet Cicero ad fam. V, 2 et ad Q. fr. 1, 2, 3. Deinde M. Catonem, qui praetor a. 700 fuit, provinciam ex praetura sibi delatam deposuisse tradit Plutarchus in eius vita c. 45; deponere autem ille provinciam non potuisset, nisi in ipso magistratu accepisset, nam anno insequenti cum septimo demum mense consules magistratum iniissent, provinciae omnino non sunt distributae (cf. Dion. XL, 46 et 56). Denique eodem fere tempore, quo de consularibus, actum esse de praetoriis provinciis et decretas eas esse praetoribus qui magistratu fungerentur, non qui postero anno magistratum inituri essent, facile colligimus ex Ciceronis or. de prov. cons. c. 7. Primum enim, si insequenti demum anno praetoriae provinciae nominatae essent, Cicero ei qui Syriam et Macedoniam praetorias provincias decernere voluit opponere non potuisset tribunum quendam, quem digito demonstravit, intercessurum esse; nam tribunis a. d. IV Id. Dec. magistratu abeundum erat. Deinde praetorias eas provincias ille facere voluit, ut Pisoni et Gabinio statim succederetur, id quod assecutus non esset, si iis qui postero anno praetores futuri essent illorum provincias destinasset.

Nunc quando provinciae ornatae sint si quaerimus, praetoriarum quidem ratio aperta est ex his duobus locis Ciceronis: ad

[6] Ita factum est ut praetores anni 692 ante mensem Martium anni insequentis provincias non sortirentur (Cic. ad Att. I, 13 et 15), quod factum videtur esse et propter Clodii instans iudicium et quod Piso consul in provincia a senatu decreta non acquiescens Syriam concupivit, quam si impetrasset provinciam, in praetoriis mutari quiddam oportuisset. Cf. ad Att. I, 16, 8.

Att. I, 15 *senatus et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decernebat* (mense Febr. anni 693) *ut, antequam rogatio lata esset, ne quid ageretur,* et ad Q. fr. II, 3 *prodicta dies est in VIII Id. Febr. Interim reiectis legationibus in Idus, referebatur de provinciis quaestorum et de ornandis praetoribus.* Neque de consularibus admodum dubitari potest. Docet enim Cicero ad Att. III, 24 ornatas non esse provincias designatorum et ad fam. XV, 4 et XI Phil. 10 ornatam provinciam se in ipso magistratu habuisse. Quibus rebus si addiderimus quod antea p. 127 ostendimus, primos cuiusque anni menses tractandis iis rebus quae ad provincias et exteras gentes pertinerent destinatos fuisse, apparebit ornatas esse consulares et praetorias provincias eodem fere tempore, mense Ianuario aut Februario.

Decernebantur igitur post legem Semproniam omnes provinciae ante comitia, plerumque mense Iunio, duae consulares consulibus futuris, ceterae praetoriae iis qui praetores erant. Sortiebantur deinde provincias illi antequam magistratum inierunt, hi antequam magistratu abierunt. Ornabantur denique provinciae initio anni, consulares ipsis consulibus qui proximo anno cum imperio erant exituri, praetoriae iis qui praetura modo defuncti statim provincias erant adituri.

Semproniam legem excepit Cornelia, quam L. Cornelius Sulla anno 673 de provinciis ordinandis tulit. Quae lex cum alia multa tum morem qui in decernendis ornandisque provinciis a patribus observatus erat haud paullum immutavit. Continentur autem quae de hoc genere Sulla novavit hoc eius instituto, ut praesides provinciarum imperium, etiamsi nominatim prorogatum non esset, haberent dum successor a senatu missus esset.[7]

Hoc legis caput senatui potestatem fecit ut de quibus provinciis vellet, non de omnibus quotannis statueret. Quamobrem ante legem Corneliam prorogatum esse alicui imperium dicebatur, postea, cum etiam hoc recte dici posset, plerumque tamen dicebatur alicui non esse successum. Veluti Sestius proquaestor Macedoniae Ciceronem rogavit ut operam daret ne sibi succe-

[7] Cic. ad fam. I, 9, 25.

deretur, et Piso proconsul eiusdem provinciae perterritus est, cum audiret sibi successum iri, et M. Cicero fratri nuntiavit sua culpa factum esse ut ei non succederetur (Cic. ad fam. V, 6, in Pis. 36, ad Q. fr. I, 1). Qua re nobilitas assecuta est primum ut senatus metu ne provinciae sine imperio essent cogi ne posset tribunis concedere, deinde ut qui nobilium ultra quam in quod tempus datae essent provincias retinere vellent facilius id perficerent; nam ut novi aliquid decerneretur perficere difficilius erat quam ne quid omnino ageretur impedire.[8]

Deinde id quidem, quominus in annos singulos, ut antea moris fuerat, sumptus decernerentur, Cornelia lex non impedivit, sed imposuisse videtur senatui necessitatem proconsulibus permittendi ut quotquot annos provinciis praefuturi essent totiens sumptum semel decretum erogarent.[9] Cui sententiae per se probabili non repugnat quod Pompeius, Cornificius, Caesar, quamquam ornatas provincias habebant, tamen pecunias a senatu flagitarunt.[10] Fieri enim potuit primum ut unde attributa erat erogari pecunia non posset, quae Pompeio causa fuisse videtur denuo senatum adeundi, deinde ut maiorem militum numerum quam quem senatus decreverat imperatores alerent, id quod Caesari accidit et Cornificio. Difficillimum autem est exempla huius rei afferre, propterea quod veteres scriptores perraro eam attingunt. Mihi quidem impigre circumspicienti hoc unum se obtulit.

M. Cicero decessurus de Cilicia, cum quem provinciae praeficeret valde laboraret, haec scripsit ad Att. VI, 3: *Cum bellum esse in Syria magnum putetur, id videatur in hanc provinciam erupturum, hic praesidii nihil sit, sumptus annuus decretus sit, videaturne aut pietatis esse meae fratrem relinquere aut diligentiae nugarum aliquid* (dicit Coelium quaestorem) *relinquere?*

[8] Cic. ad fam. II, 7 et ad Att. V, 21.

[9] Similiter iis, quibus extra ordinem plebiscitis provinciae in complures annos demandatae erant, in totidem annos etiam sumptus attributi sunt. Vide de lege Trebonia Plut. Pomp. c. 55 et de lege Vatinia Cic. in Vat. c. 15.

[10] Sallust. frg. p. 230 ed. Gerlach; Cic. ad fam. XII, 28 et 30, pro Balbo 27, de prov. cons. 11, ad fam. I, 7, 10.

Quo loco res in eo vertitur quomodo interpretanda sint verba *sumptus annuus decretus sit.* Quorum quae prima quaerenti occurrit explicatio, haec est Manutii ceterorumque quod sciam interpretum: sumptus in annum tantum decretus est ideoque circumacto iam anno frater pecunia publica prorsus destitutus erit. Facilis sane et ad verba accommodata interpretatio, minus tamen probabilis vel dicam prorsus reiicienda, si ad rem ipsam animum adverteris. Primum enim parum credibile videtur ne decretum quidem esse sumptum proconsuli tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, praesertim iis qui in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare vicinos paterentur.[11] Deinde Cicero, si successor vicem aerarii praestare et exercitum suo sumptu alere debuisset, sine dubio multo gravius questus esset. Denique in epistola ad Atticum VII, 1 haec legimus: *cum hoc rectum et gloriosum putarem, ex annuo sumptu qui mihi decretus esset me C. Caelio quaestori relinquere annuum, referre in aerarium ad HS X, ingemuit nostra cohors omne illud putans distribui sibi oportere; ut ego amicior invenirer Phrygum et Cilicum aerariis quam nostro.* Quem locum in hunc modum explico: „ex annuo sumptu, quem in alterum annum ex senatus consulto iam exegi, reliqui successori annuum, deducta pecunia quae in usum praetoris decreta erat, ad HS X, vel quicumque numerus hoc loco ponendus est. Quam cum neque cohorti distribuere vellem, ut fieri solet, neque, ut licet, mihi retinere, in aerarium referre constitui.“ Nam qui sumptum annuum eum intelligunt, quem Cicero in provinciam adveniens acceperat, perperam iudicare mihi videntur, propterea quod parum pecuniae sibi decretum esse saepius Cicero questus est,[12] annuus

[11] Noli opponere saepius in angustiis aerarii necessarios sumptus imperatoribus non esse suppeditatos. Iis enim, cum iussi essent ipsi exercitibus consulere (Liv. XXIII, 21, Cic. ad fam. XII, 28), decretus erat sumptus undecumque sumerent; Ciceronis vero successori sumptu non decreto ne id quidem licuisset pecuniam in provincia cogere aut mutuam sumere.

[12] Cic. ad Att. V, 4: *Senatus consultum si erit factum, scribes ad me; sin minus, rem tamen conficies. Mihi enim attribui oportebit, item Bibulo. Sed non dubito, quin senatus consultum expeditum sit, in quo praesertim sit compendium populi;* ad fam. XV, 1: *Si quid apud vos auctoritas mea*

autem sumptus vel largissime decretus alteri anno sufficere nullo modo potuit. Reliquit igitur Cicero cum decederet successori sumptum annuum. Iam relinquere sumptum nisi antea decretum non potuit, decretus autem non erat, quia anno 704 quo Cicero decessit de provinciis nihil omnino statutum est. His de causis omissa Manutii interpretatione Ciceronem illis verbis hoc fere significare existimamus: Quoniam senatus novi de provinciis nihil statuit, successori idem sumptus, qui mihi annuus decretus est, in alterum annum erogandus est; ille autem multo minor est quam qui sufficiat ad repellendum hostem validissimum. Quae si vere a nobis disputata sunt, exemplo satis apto sententia nostra videtur confirmata esse.

Praeterea autem, cum alii plus, alii minus quam annum, pauci legitimum tempus provinciam obtinerent neque aequum esset alios suis opibus rempublicam adiuvare, alios quod superaret pecuniae sibi retinere, persuasum mihi est certam quandam diem, aliam alia in provincia, praestitutam fuisse ex qua sumptus singulis praetoribus decretos in usum publicum impendi oporteret; veluti Ciceroni, quamquam pridie Kal. Sext. in provinciam advenerat, tamen usque ab Idibus Quint., stipendium militibus persolvendum fuit.[13] Sed hanc quaestionem pono tantum hoc loco, non pertracto; est enim late patens et magna cum cura et diligentia consideranda, quod rei non solum magna utilitas est sed explicandi quoque summa difficultas.

Post legem Corneliam de provinciis nihil novatum est usque ad annum 701, quo anno referentibus Cn. Domitio M. Messalla consulibus senatus censuit ne consules praetoresve qui tunc essent quive futuri essent provincias sortirentur ante quinquennium ab magistratu exacto.[14] Sed sive populum consules non

ponderis habet, in iis praesertim rebus, quas vos audistis, ego paene cerno, magno opere vos et hortor et moneo, ut his provinciis serius vos quidem quam decuit, sed aliquando tamen consulatis. Nos quemadmodum instructos et quibus praesidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. Cf. praeterea ad fam. III, 3.

[13] Cic. ad Att. V, 14 et 15.

[14] Dio XL, 46: Δόγμα ἐποιήσαντο μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μήθ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονίας πρὶν ἂν πέντε ἔτη θιέλθῃ λαμβάνειν· εἴ πως

rogaverant, sive rogatio antiquata erat, nam de hoc cum mihi parum certum sit affirmare nihil ausim, eo quidem anno res est discussa, ita tamen ut provinciae omnino non decernerentur. Insequenti vero anno Pompeius, qui consul sine collega factus erat, maiore studio rem amplexus est, verbo ut nimias ac prope iam non ferendas honorum cupiditates ambitionesque coerceret, re vera quod in spem venerat occasione huius legis Caesaris amicos a provinciis posse removeri.[15] Tulit igitur ad populum ex patrum auctoritate et populus scivit ut quod senatus Domitio Messalla consulibus de provinciis censuisset ius ratumque esset.[16]

Qua lege abrogata sunt quae C. Gracchus de provinciis instituerat. Nam ante comitia consulares provincias decerni nihil iam attinuit, atque hoc legis capite abiecto ne alterum quidem de intercessione servari amplius potuit. Agebatur igitur postea de provinciis quo anni tempore aut res flagitaverat aut consulibus placuerat; tribunis autem quominus intercederent adeo nihil obstabat, ut senatus ad prohibendam intercessionem a. 703 de Caesaris provinciis nominatim decerneret senatum existimare neminem eorum qui potestatem haberent intercedendi moram afferre oportere quominus de republica ad senatum referri senatusque consultum fieri posset: qui impedivisset eum senatum existimare contra rempublicam fecisse.[17]

Quid praeterea lex Pompeia instituerit investigari neque potest neque ad id quod quaerimus magnopere refert. Ea erat enim natura huius legis ut qui ex ea in provincias mitterentur ante quinquennium omnino non essent; quinquennio autem illo circumacto cum ipso auctore lex eversa erat et oblivione obruta.

ὑπὸ τοῦ μὴ παραυτίκα ἐν δυνάμει τινὶ αὐτοὺς γίγνεσθαι παύσαιντο σπουδαρχοῦντες.

[15] Caesar certe bell. civ. I, 85 queritur *in se iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur.*

[16] Dio XL, 56: Ὁ Πομπήϊος τὸ δόγμα τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενον ὥστε τοὺς ἄρξαντας ἐν τῇ πόλει μὴ πρότερον ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας πρὶν πέντε ἔτη παρελθεῖν κληροῦσθαι ἐπεκύρωσεν. Οὐδ' ᾐσχύνθη τότε μὲν τοιαῦτα γράψας, ὕστερον δὲ οὐ πολλῷ αὐτός τε τὴν Ἰβηρίαν ἐς πέντε ἄλλα ἔτη λαβών.

[17] Cic. ad fam. VIII, 8.

Quare cum de Caesaris provinciis agamus, non quid lex statuerit quaerimus, sed qua ratione de provinciis decretum sit ipso illo quinquennio.

Nititur autem tota nostra de hac re disputatio senatus auctoritate, quae referente M. Marcello consule anno 703 de provinciis praetoriis facta est, quae senatus auctoritas a Coelio ad Ciceronem perscripta legitur in ep. ad fam. VIII, 8: *Itemque senatui placere in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent, eos, qui praetores fuerunt neque in provinciam cum imperio fuerunt, quos eorum ex senatus consulto cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere: si ex eo numero, quos ex senatus consulto in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodque collegium primum praetorum fuisset neque in provincias profecti essent, ita sorte in provinciam proficiscerentur: si ii ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii, qui praetores fuissent neque in provincias profecti essent, in sortem coicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.* Haec quidem senatus; nunc quae de re in controversiam vocata vel ex his verbis vel ex aliis locis veterum scriptorum colligi possunt singillatim in medium proferemus.

Et primum quidem qua ratione quinquennio illo quo lex Pompeia nondum valeret provinciae haberentur ipsa lege senatui videtur esse permissum. Nam nisi ita fuisset, neque Cicero, quem provinciam post legem latam accepisse constat, ad fam. III, 2 scripsisset: *vides ex senatus consulto provinciam esse habendam*, habuisset enim ex lege; et in senatus auctoritate quae supra allata est statui oportuisset ut in praetorias provincias praetorii mitterentur, quos eorum mitti oporteret ex lege, non ex senatus consulto.[18] Quare statim postquam lex lata sit senatus

[18] Hoc senatus consultum idem fuisse quod Domitio Valerio coss. factum sit Nipperdeius censet in quaestionibus Caesarianis p. 129; ut mihi quidem videtur falso; nihil enim attinuit senatus consultum afferre in re de qua lex extitit ex illo ipso senatus consulto lata.

consultum factum esse putamus quo haec res ordinaretur. Cui sententiae non repugnat quod Cicero ad fam. XV, 9 a M. Marcello consule petiit, operam daret ne quid temporis ad id accederet quod ipse Marcellus sibi et senatus consulto et lege finivisset. Nam cum de tempore imperii neque lex Pompeia neque illud senatus consultum quicquam statuisset et cum Cicero, si statuissent, dicere non posset Marcellum sibi illo senatus consulto et illa lege tempus finivisse, hoc loco senatus consultum significari videtur quo initio anni 703 provinciae decretae sunt et lex curiata illa quam consules de imperio eorum qui in provincias ituri erant ferre solebant.

Deinde senatus auctoritas, quae nostrae disputationi pro fundamento est, non solum id spectavit ut eo anno quo facta est praetoriae provinciae quomodo ipsa statuisset obtinerentur, sed ut ad eandem normam semper haec res dirigeretur. Illud enim si senatus spectasset, haec auctoritatis verba *tum uti quodque collegium primum praetorum fuisset* omnes qui postea fuerant praetores comprehendissent neque ulla causa fuisset addendi haec: *si ii ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii qui praetores fuissent.* Contra ea si ad complures annos illud decretum pertinuit, cur hoc potissimum modo senatus statuerit facile intelligitur. Erat autem, quantum coniectura rem assequi possumus, haec eius decreti causa. Sanxerat lex Pompeia et senatus consultum ex ea lege factum ut qui quinquennio ante praetores fuissent in praetorias provincias mitterentur, si ii ad numerum non essent ut in reliquis provinciis qui eas obtinerent prorogato imperio remanerent. Iam Pompeianorum permagni intererat ut numerus provinciarum quae Kalendis Martiis a. 704 consulares decerni possent quam maxime minueretur, id quod antea p. 47 et 74 pluribus ostendimus. Quid mirum igitur quod Marcellus Caesari inimicissimus summo studio contendit ut quam plurimi praetores eo anno in provincias mitterentur? Id vero perficere non potuit quin Caesari iustae querellae causam daret nisi praetoriarum provinciarum numerum in perpetuum auxit.

Sed haec sunt leviora; sequitur quod magis necessarium ad propositum nostrum est, ut quos ex senatus consulto in pro-

vincias mitti oportuerit diligenter indagemus. Qua de re ex senatus auctoritate, quam supra attulimus, et ex lege ipsa, ad cuius similitudinem senatus consultum de quo quaerimus sine dubio factum est, facile colligitur mitti non potuisse nisi qui quinquennio ante consules praetoresve fuissent necdum provincias administravissent.[19] Ac ne illud quidem difficiles explicatus habet, utrum ab inito magistratu quinque illi anni numerati sint an ab exacto. Praeterquam enim quod huc transferri recte potest similitudo veteris illius legis de iteratione magistratuum latae, quae sanxit ne quis eundem magistratum caperet nisi decem integri anni interfuissent,[20] ea ipsa quae Dio XL, 56 de lege Pompeia tradit, si verba diligenter examinamus, nullam dubitationem nobis relinquunt; significat enim Dio perspicue qui magistratibus functi essent, non qui fungerentur, vetitos esse provincias sortiri antequam quinquennium esset circumactum. Itaque unum reliquum est de quo in hoc genere ambigi possit, utrum eos solos qui ipso quinquennio ante magistratibus defuncti essent an praeterea qui ante illos consules praetoresve fuissent in provincias mitti oportuerit. Quae res non conficitur exemplo Ciceronis aut Scrofae, qui, cum alter anno 691 consul, alter anno 694 praetor fuisset,[21] anno 703 in provincias missi sunt. Accidisse enim potest ut qui anno 697 in magistratibus fuerant aut omnes aut plerique certe eorum provincias iam administravissent ideoque senatus cogeretur ad eos qui antea magistratibus functi erant descendere; quo facto illa exempla ostenderent potuisse horum rationem haberi, non quod nos volumus, plane eodem iure eos fuisse quo erant qui ipso quin-

[19] Cf. praeterea Cic. ad Att. VI, 6 et ad fam. II, 15.

[20] Liv. VII, 42: *Plebiscito cautum ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet*, X, 13: *Fabius legem recitari iussit, qua intra decem annos eundem consulem refici non liceret.* Appian. bell. civ. I, 100: Ὁ Σύλλας τὴν ἀρχὴν τὴν αὐτὴν αὖθις ἄρχειν ἐκώλυσε, πρὶν ἔτη δέκα διαγενέσθαι. Cic. de legg. III, 3: *eundem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito.* Ex hac lege Caesari, cum consul fuisset anno 695, iterum consulatum gerere licuit anno 706; cf. Caes. bell. civ. III, 1.

[21] Scrofam anno 694 praetorem fuisse docet Zumptius in commentationum epigraphicarum volumine altero p. 208.

quennio ante magistratu abierant. Quamobrem firmiore argumento nobis sententia nostra comprobanda est. Quod nobis suppeditavit senatus illa auctoritas de provinciis praetoriis. Quoniam enim haec eius verba *si ex eo numero, quos ex senatus consulto in provincias ire oporteret, ad numerum non essent* aperte ostendunt fieri potuisse ut illi ad numerum essent, unius autem collegii praetores, qui octo erant, novem provinciarum numerum exaequare nullo modo poterant, dubitari non iam licet quin ex illo senatus consulto ratio habenda esset omnium qui quinque annis ante aut ultra magistratibus defuncti erant; qua re quantopere patres aequitati consuluerint non est quod pluribus demonstrem.

Ostendimus quos in provincias sortito mitti oportuerit; nunc quomodo sortitio facta sit ostendemus, nam id quoque habet aliquid quaestionis. Quoniam enim fieri potuit ut quos in provincias ire oportuit earum numerum excederent, dubitatio nobis iniicitur, utrum omnium sortes coniectae sint an senatui fuerit potestas quot et quos sortiri vellet eligendi. Atque in hanc quidem partem trahit nos Romanorum mos, quem in decernendis provinciis ante legem Pompeiam semper observabant, ut tot essent sortes quot qui sortirentur. Sed quae alteram sententiam confirment et plura sunt et graviora argumenta. Et primum quidem sortitiones iudicum, legatorum, sodalium Augustalium, praefectorum tabularum publicarum,[22] aliorum documento sunt in aliis muneribus publicis, quae sortito obtinebantur, sortientium numerum maiorem fuisse quam sortium. Deinde ante legem Pompeiam latam provinciae in quas qui magistratibus defuncti erant mitterentur abunde suppetebant, postea vero quinquennio proximo provinciae ad numerum eorum qui mitti debebant non erant. Itaque cur ille in aliis muneribus publicis observatus mos ad provincias transferretur, antea quidem nulla causa erat, tum vero gravissima; in pari enim iure disparem conditionem facere nullam habet aequitatem. Tum Augustus, cum legem Pompeiam iterum ferret, permisit ut, etiamsi qui sorti-

[22] Cic. ad Att. I, 19, ad Q. fr. II, 1, Tac. Ann. I, 54, XIII, 29.

turi essent provinciarum numerum excederent, tamen omnium sortes coniicerentur; id quod Dio Cassius LIII, 14 his verbis memoriae prodidit: Τῇ βουλῇ ἰδίᾳ μὲν τοῖς τε ὑπατευκόσι τήν τε Ἀφρικὴν καὶ τὴν Ἀσίαν καὶ τοῖς ἐστρατηγηκόσι τὰ λοιπὰ πάντα ἀπένειμε, κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς ἀπηγόρευσε μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι. Καὶ χρόνῳ μέν τινι πάντες οἱ τοιοῦτοι, εἰ καὶ πλείους τῶν ἐθνῶν ἦσαν, ἐλάγχανον αὐτά· ὕστερον δὲ, ἐπειδή τινες αὐτῶν οὐ καλῶς ἦρχον, τῷ αὐτοκράτορι καὶ ἐκεῖνοι προσετέθησαν. Καὶ οὕτω καὶ τούτοις αὐτὸς τρόπον τινὰ τὰς ἡγεμονίας δίδωσιν, ἰσαρίθμους τε γὰρ τοῖς ἔθνεσι, καὶ οὓς ἂν ἐθελήσῃ, κληροῦσθαι κελεύει. Denique gravissimum nostrae sententiae argumentum petimus ex eo quod a. 703 consulares provinciae obvenerunt Ciceroni et Bibulo, quorum alter consul fuerat a. 691, alter a. 695. Erant enim eo anno multi quos ex senatus consulto in provincias mitti oporteret: si eos qui consules ante a. 686 fuerant plane omittimus, M'. Aemilius Lepidus, L. Volcatius Tullus, L. Aurelius Cotta, L. Iulius Caesar, qui ante Ciceronem consules fuerant, L. Licinius Murena, M. Pupius Piso, M. Valerius Messalla, qui ante Bibulum consules fuerant.[23] Hos omnes praeteritos esse, ut Cicero et Bibulus soli sortirentur, credere nullo modo possumus. Neque enim qui praeteriti erant ignominiam aequo animo tulissent et Cicero, qui in provinciam profectus est invitissimus,[24] vehementer repugnasset ne quid eiusmodi in se novaretur. Praeterea optimatium rationes non ferebant ut hominem suae causae studiosissimum in provinciam ablegarent, in qua propter

[23] Vixisse anno 703 eos viros cognoscimus ex his locis: Cic. ad Att. VII, 23, X, 3a, Caes. b. civ. I, 6, Cic. Phil. II, 6, ad Att. XIII, 50. M. Pupius Piso quando mortem obierit incertum est, id tantum ex Cic. ad Att. XIII, 19 constat, mortuum eum esse ante annum 709. Deinde provincias ex consulatu non acceperunt neque Lepidus, quod, cum consul anno 688 fuisset, anno 689 testimonium in C. Cornelium dixit (Ascon. arg. Corn. p. 60 ed. Or.), neque Cotta consul anni 689, quod anno 690 censor factus est (Plut. Cic. 27), neque Caesar consul anni 690, quod anno 691, cum de Catilina ageretur, in senatu aderat (Cic. ad Att. XII, 20), neque Piso (Cic. ad Att. I, 16). Ceteros in provincias non exiisse certis argumentis demonstrari non potest; verisimile tamen est, quod missos eos esse nusquam memoriae proditum est.

[24] Cic. ad fam. III, 2, XV, 1, ad Att. V, 4 et 10.

inscitiam rei militaris nulli usui futurus erat, cum in curia latissimus campus pateret in quo excurrere posset insignis eius eloquentia cum magna ipsorum utilitate.[25] Apparet igitur, cum provinciae consulares anno 703 a senatu decretae essent, omnium consularium quorum ex lege oportuit sortes esse coniectas et casu exisse Ciceronis et Bibuli.

His expositis, cum quomodo de provinciis eo tempore senatui decernendum fuerit satis pateat, redire nobis licet ad propositum. Quaerimus igitur quid actum sit de provinciis initio anni 705. Cuius rei luculentissimus auctor nobis est ipse Caesar, qui in capite sexto primi commentarii de bello civili haec tradidit: *Provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. Philippus et Cotta privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur. In reliquas provincias praetores mittuntur.* Exhibuimus haec verba, ut in omnibus codicibus leguntur; tamen cum Nipperdeio, peritissimo harum rerum existimatori, foede corrupta esse videantur, aggredi non possumus ad ea explicanda, antequam quae ille monet qualia sint diligenter examinaverimus. Sunt autem duae res in quibus ille offendat.

Ac primum in verbis *Philippus et Cotta privato consilio praetereuntur* codicum scripturam falsam esse censet vanosque omnes explicandi conatus. „Caesar enim, inquit in quaest. Caes. p. 128, id notavit, quod provinciae decretae essent privatis, et quidem duae consulares Scipioni et L. Domitio Ahenobarbo. Itaque cum deinde duos homines nominaret, qui illas sortiri debuissent, apparet eos eum appellare oportuisse, qui tum non fuissent privati. Ii vero nulli poterant alii esse, quam consules huius anni, C. Claudius Marcellus, L. Cornelius Lentulus. Atque ex horum quidem nominibus ea, quae in codd. leguntur, oriri potuisse nemo sibi persuadebit. Mihi vero non dubium est, quin Philippus huc illatus sit ex superioribus verbis *de Fausto impedit Philippus, tribunus plebis;* Cotta autem ex nota, qua consules significantur, ortus et deinde utrique nomini copula inter-

[25] Cic. ad Att. I, 19.

iecta sit. Itaque haec sic scribenda arbitror: *Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia: consules privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur.*" Haec quidem Nipperdeius; quibus si addideris quod idem putat legem Pompeiam de industria a Caesare dissimulatam esse, perspectam habebis eius sententiam.

Nunc si placet, nostram exponamus. Nos vero si diceremus, audacem esse istius coniecturam, parum accommodatam codicum verbis, eius denique generis quo probato nihil non ex veterum scriptis erui posset, nonne id diceremus, quod cuivis probare deberemus? Verum hoc modo agere in animo non est; in his enim rebus ut audendi veniam petamus demusque vicissim iam diu in consuetudinem venit. Concedemus igitur facile sagaciter inventam esse Nipperdeii emendationem, dummodo quod illi videtur appareat, non posse ferri codicum scripturam et bene convenire in sententiam Caesaris emendatam. At neutrum persuasit ille, atque adeo non persuasit ut in contrarias partes nos quidem non dubitemus transire.

Atque illud quidem, codicum scripturam facile intelligi posse, postea ostendemus; nunc, etiamsi illa corrupta esset, Nipperdeii certe inventum ferri non posse paucis demonstrare propositum est. Consentimus autem praeteritos eos dici qui, cum idem quod alii ius habeant, eodem honore digni non habentur; item consulum ex lege Pompeia rationem haberi non potuisse et certum est et notum; sequitur igitur ut consules praeteritos esse, nisi per calumniam, Caesar queri non potuerit. At cupidius quam verius scripsit Caesar; reprehendit id ipsum, privatis provincias decretas esse. Quid vero? reprehendisse eum magis quam narrasse quae tum acta sint quo argumento contendis? Ego certe video nullum. Reprehenderit tamen, quid tum? Recte credo criminatur qui legem perperam latam esse queritur privato consilio praeteritos esse eos quos ipse ex lege praeteritos esse concedit. At ipsam illam legem, quo apertius adversariorum iniuria eluceret, latam esse Caesar dissimulavit. Audio; est aliquid. Agunt ita oratores, qui nihil curantes quam vere id unum spectant quomodo ad persuasionem apposite di-

cant; ac ne ii quidem ita agunt, nisi in re quam tractant magna aliqua dubitatio inest aut ii qui audiunt redarguendi vel potestatem non habent vel voluntatem. At haec quid ad Caesarem? Suscepit et tutatus est cum dignitate partes rerum scriptoris, cui tamquam materies in qua versetur veritas subiecta est. Deinde librum suum composuit non iis qui fando quae gesta essent accepissent, sed qui ipsi gerendis rebus interfuissent, non iis qui quid verum esset quid falsum diiudicare nequirent, sed eruditissimis, non amicis aut qui in omnia reipublicae capessendae consilia se consociassent, sed infestissimis et qui orbati publicis muneribus omnem occasionem de laude eius aliquid detrahendi cupide arriperent. Denique lex ipsa, de qua Caesar egit, qualis tandem ea erat? Lata erat septem annis antea,[26] decretae erant ex ea bis provinciae, a. 703 et 705, utroque anno ita ut hominum animi valde commoverentur, superstites erant multi qui ea lege praeter expectationem provinciis aut ornati fuerant aut orbati. Videsne igitur notissimam illam legem fuisse. Quid, quod ipse Caesar b. civ. I, 85 haec scripsit: *in se iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur?* Credibile scilicet est, quam rem factam esse ipse gravissime questus est, eandem factam non esse eodem libro Caesarem persuadere voluisse. Aut credi autem hoc potest, aut reiicienda est Nipperdeii emendatio.[27]

Veniamus nunc ad alterum locum, quem ille vir doctus suspectum habet. De quo in iisdem quaestionibus pag. 131 in hunc modum disputat: „In iis verbis, quae proxima sunt apud Cae-

[26] Nipperdeius l. l. p. 5 censet commentarios de bello civili devictis demum Pompeii liberis inchoatos omnino non ab ipso Caesare, sed, cum morte occupatus esset, post caedem demum eius vulgatos esse. Quod quam vere ille contendat hoc loco non quaerimus.

[27] Nipperdeius l. l. p. 131 Caesar, inquit, eo loco, unde disputatio nostra nata est, cum provincias privatis decretas esse reprehendit, legem Pompeiam dissimulat; et paullo infra addit haec: Eo tempore, quo Caesarem hos commentarios scripsisse statuimus, cum lex Pompeia non servaretur, sperare poterat Caesar fore ut haec dissimulatio legentes fugeret.

sarem: *in reliquas provincias praetores mittuntur,* Pighio pro praetoribus *praetorii* ponendi visi sunt. Etsi autem illa sic interpretari licet, ut missi dicantur qui pro praetoribus essent, tamen id male fit, quia Caesari, qui privatis provincias decretas esse demonstrat, omnis eiusmodi ambiguitas vitanda erat. Huc accedit, quod supra iam declaratum erat reliquas provincias praeter duas consulares praetorias fuisse, et quod haec verba incommode praeponuntur insequentibus: *neque expectant, ut de eorum imperio ad populum feratur* cett., quae de omnibus, qui provincias sortiti erant, intelligenda esse apparet. His de causis illa verba spuria esse existimavi.“ Ex his quae Nipperdeius proposuit hoc unum comprobo, praetorum commemorationem hoc loco ferri non posse; nam et missi sunt eo anno in provincias et mitti ex lege debebant praetorii, non praetores. Quod vero Pighii facillimam emendationem repudiat, nodum in scirpo mihi videtur quaerere. Primum enim quae ambiguitas in vocabulo praetoriorum insit intelligere nullo modo possum. Deinde si verba de quibus agimus incommode insequentibus praeponuntur, quippe quae ad omnes provincias, non ad praetorias solas pertineant, non minus incommode, si illa deessent, quae proxime antecedunt praeponerentur; periculum enim esset ne verba, quae ad omnes qui provincias sortiti erant pertinent, ad solos proconsules referremus. Denique quod Nipperdeius censet, nisi deleantur ea verba, idem bis narrari, ne id quidem ad veritatem dixit. Aliud enim est *decrevit senatus reliquas provincias praetoriis,* aliud, *misit in reliquas provincias praetorios.* Illud vel quod idem est *decrevit senatus reliquas provincias praetorias* recte dici potuit, etiam cum lege Sempronia provinciae iis decernerentur qui sex mensibus postea eas adirent; nihil enim aliud significant illa verba quam *statuit senatus quae provinciae proximo anno praetorio imperio obtinerentur.* Contra ea mitti in provinciam nemo potuit nisi cui aut sorte obvenerat aut extra ordinem nominatim demandata erat. Quare cum cui provincia decreta erat eam non habere posset, qui in provinciam missus erat eam non habere non posset, novi aliquid in altera sententia inest; significat enim sor-

titionem esse factam et praetorios iussos statim in provincias exire.[28]

Vindicavimus Caesaris verba a Nipperdeii audacia; restat ut quae sententia iis subiecta sit exponamus. Versatur autem difficultas in eo, quod Scipioni et Domitio consulares provinciae obvenisse dicuntur. Quoniam enim ille anno 702, hic anno 700 consulatum gesserat, quinquennium lege et senatus consulto praefinitum, si de computandis annis antea recte disputavimus, expletum erat neutri, si ab inito magistratu annos numerari placet, Domitio soli, non Scipioni. Itaque si consentaneum est, ut est, quod lex Pompeia maxime spectarit id senatus consultum ex ea factum non neglexisse et si praetoriarum provinciarum similitudinem ad consulares transferre licet, quod certe licet, quaestio nobis exoritur quomodo factum sit ut, quibus legitimum quinquennium expletum non esset, eorum ratio inter ceteros haberetur et iis potissimum sortitione facta provinciae obvenirent.

Sunt qui dicant optimates suo commodo intentos tam necessario tempore non dubitasse legem aperte violare. Atque habent illi quidem aliquam suae sententiae rationem; inter omnes enim constat Scipionem affinitate et amicitia, Domitium inimicitia Caesaris et consiliorum societate cum Pompeio fuisse coniunctissimos. Tamen dubitari non potest quin falsam speciem secuti a veritate longe illi aberraverint. Neque enim verisimile est Pompeianos, cum et ante initum bellum in patrocinio legum magnifice se iactassent et postea se iactare non desinerent, ipso eius initio commisisse ut conculcasse viderentur legem, quam ipsi et tulerant et saluberrimam esse reipublicae saepissime praedicaverant. Caesarem vero, si omnes quorum ratio habenda fuisset praeteritos esse criminari potuisset, in Philippi et Cottae mentione acquieturum fuisse credere omnino non possumus; arripiebat enim ille, ut in lubrica defensionis ratione, vel minima unde fore videretur causae suae aliquid praesidii. Itaque illos quidem viros doctos nihil moramur.

[28] Ad hanc rem cognoscendam multum faciunt Cic. de prov. cons. c. 7 et 15 et Livius XXI, 6 et XXXV, 41, XXXVI, 1.

Sunt alii qui negent praeter Scipionem et Domitium, qui missi sunt, et praeter Philippum et Cottam, qui praeteriti esse nominatim dicuntur, alios consulares fuisse qui eo anno in provincias mitti possent. Quam interpretandi rationem cum multi instituerint, tum nemo copiosius aut subtilius in ea versatus est quam Zumptius in commentationum epigraphicarum volumine altero pag. 205 seqq. Cum eo igitur nobis hoc loco res est.[29]

Agit autem vir doctissimus id ut, qui ante Scipionem consulatum gesserint, eos demonstret aut ante annum 705 mortem obiisse aut provincias iam administrasse aut alia de causa mitti non potuisse. Qua in re cum campus quaestionis ei latissime pateret, ad coartandum eum duplex adminiculum adhibuit. Et primum quidem censuit anno 703, quo ex eadem lege provinciae decretae erant, senatum ultra Ciceronis aetatem, id est a. 691, non ascendisse vel, si ascendisset, prohibitum esse eorum qui electi essent auctoritate, quippe qui cum seniores essent provinciae excusationem iure suo petere potuissent. Deinde eodem fere modo negavit rationem haberi potuisse anno 705 eorum qui ante Bibulum, i. e. a. 695, consulatum gessissent; nam ut quodque consulum collegium primum fuisset, ita primum in provincias mitti oportuisse. Quarum sententiarum neutram nobis probavit. Illa enim quo argumento confirmaretur neque ipse indicavit neque nos invenire potuimus; hanc vero reiiciendam esse apparet cum ex iis quae de provinciarum sortitione supra disputavimus tum ex exemplo Cottae qui praeteriri non potuit nisi ratio eius ex lege habenda erat. Condonemus tamen Zumptio illud quasi fundamentum argumentationis et videamus quid eniti possit atque efficere.

Atque removet ille pro doctrina sua exquisitissima ex viginti duobus viris, qui ab Ciceronis consulatu usque ad Scipionis consules fuerant, optimo iure duodecim; duos quos ante an-

[29] Zumptius in Caesaris loco, de quo agimus, pro Cotta scribendum esse arbitratur Marcellinum, consulem anni 698, collegam Philippi; sed quod pro documento posuit, vetustissimum quemque consularium in provinciam primum mitti oportuisse, id ipsum antea firmis argumentis demonstrandum erat.

num 705 decessisse constat,[30] novem quos provincias ex consulatu accepisse ostendit, unum denique quem lege Licinia ambitus condemnatum esse demonstrat. Sed in ceteris res ei minus bene processit. Primum enim quod putat M. Pupium Pisonem et Cn. Lentulum Marcellinum ob provincias ex praetura administratas iure esse praeteritos, valde errare mihi videtur; nam et Philippum, quem ex praetura Syriae praefuisse Appianus in Syr. 50 docet, contra legem praeteritum esse Caesar queritur, et Catoni, quamquam anno 696 lege Clodia pro praetore in Cyprum missus erat, anno 705 Sicilia provincia obvenit. Deinde Cn. Domitium Calvinum eo tempore ab urbe afuisse et cum Caesare versatum esse suspicatur Zumptius magis quam demonstrat; etiamsi autem certissimis argumentis demonstrasset, ad rem suam nihil profecisset. Quoniam enim Tuberonis praetorii sors eodem anno coniecta est,[31] absentes lege exclusos non fuisse apparet; si vero propterea, quod cum Caesare versaretur, Calvini ratio habita non esset, nulla causa fuisset Caesari quin Philippo et Cottae illum adiungeret. Tum a L. Murena otium praelatum esse[32] neque Zumptius demonstrare potuit neque ego possum negare; nam inter vivos etiamtum fuisse Murenam ex Cic. ad Att. XIII, 50 constat, praeterea nihil de eo viro traditum est. Denique M. Valerii Messallae rationem anno 703 haberi non potuisse, quod censor anno 699 fuisset, nulla ratione Zumptius contendit, nisi forte demonstrare potest non modo ad consulatum et praeturam, sed etiam ad censuram legem Pompeiam pertinuisse. Apparet igitur ne hac quidem ratione nos ad exitum quaestionis nostrae pervenire.

Itaque si concedendum nobis est primum ex lege habitam esse Domitii et Scipionis rationem, deinde legem statuisse, non ut vetustissimus quisque consularium primus in provinciam mit-

[30] Q. Metellum Celerem, cos. a. 694, insequenti anno mortuum esse, id quod Zumptium videtur fugisse, colligi potest ex Cic. pro Coelio 24, in Vatin. 8, ad Att. II, 5.

[31] Cic. pro Ligar. 7.

[32] Addere potuit Zumptius Murenam ex praetura Galliam accepisse. V. Cic. p. Mur. 20.

teretur, sed ut omnium sortes coniicerentur qui quinquennio ante aut ultra consulatu abiissent necdum provincias administravissent, denique fuisse praeter Philippum et Cottam complures consulares quorum ratio eo anno ex lege habenda esset, qui praeteriti esse non dicuntur; si haec igitur concedimus, quo tandem modo factum est ut provinciae iis obvenirent quibus legitimum quinquennium nondum erat expletum?

Lata erat anno 574 a L. Villio tribuno plebis lex, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque.[33] In morem deinde venerat ut, qui praetura functi erant, eorum alii obeuntes annum suae petitionis post biennium consulatum caperent, alii, sive sua sponte sive quod repulsam tulerant, annum suum relinquerent seque in annos proximos transferrent, plurimi consulatum numquam adipiscerentur. Age iam, lata est lex Pompeia, cautum est ne quis consul praetorve ante quinquennium ab exacto magistratu provinciam sortiretur; quid accidisse dicamus praetoriis? Qui ad consulatum numquam pervenerunt sortiti sunt suo anno praetoriam provinciam; qui summum magistratum sero acceperunt ornati sunt et praetoria et consulari provincia. De his quidem nihil est dubitationis. At qui suo anno consules facti sunt, quae tandem erat eorum conditio? Praetoriam provinciam nondum acceperant neque omnino accepturi erant; eo enim anno quo accipere poterant non iam erant praetorii. Quid igitur? qui aliquanto serius quam per aetatem ac per leges liceret consulatum petierant et qui multis repulsis latis illum honorem magis diuturnis precibus efflagitaverant quam dignitate impetraverant, ii duarum provinciarum fructum ceperunt; qui prima petitione et suo anno ad summum honorem pervenerunt, ii sunt una provincia quasi fraudati? Non videtur esse hoc consentaneum. Existimamus igitur legem sanxisse ut, qui antequam praetoriam provinciam accepissent consules facti essent, eorum sortes quinque annis post praeturam gestam inter consulares coniicerentur. Cuius rei duplex commodum erat: provisum enim erat ne qui suo anno consulatum cepissent peiore

[33] Liv. XL, 44.

conditione essent quam qui repulsam tulissent neve qui in provincias mitti possent umquam deessent.

His expositis patere arbitror quomodo factum sit ut anno 705 lege salva Domitii et Scipionis ratio haberi posset. Quod si apparet, cetera facile expedientur. Nam quorum sortes ex lege coniicerentur erant pauci, sortitioni praeerant Pompeiani nullo custode, fraude et fallaciis sortitiones saepe corruptas esse docet Cicero de lege agr. II, 8: *Sortietur tribus idem Rullus. Homo felix educet quas volet tribus,* et in Verr. l. I, c. 61: *Nam de subsortitione illa Iuniana iudicum nihil dico. Quid enim? contra tabulas, quas tu protulisti, audeam dicere? Difficile est; non enim me tua solum et iudicum auctoritas, sed etiam anulus aureus scribae tui deterret. Non dicam id, quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam, multos ex te viros primarios audisse, cum diceres ignosci tibi oportere, quod falsum codicem protuleris; nam, qua invidia C. Iunius conflagravit, ea, nisi providisses, tibi ipsi tum pereundum fuisset.* Quid mirum igitur, si Pompeiani effecerunt ne sors ad parum idoneos deerraret?

Obvenerunt igitur anno 705 consulares provinciae Syria et Gallia transalpina Q. Caecilio Metello Scipioni et L. Domitio Ahenobarbo. Deinde in sortem coniectae sunt praetoriae. Sortiti sunt viri praetorii M. Considius Nonianus Galliam cisalpinam (Cic. ad fam. XVI, 12, ad Att. VIII, 11 b), M. Porcius Cato Siciliam (Caes. b. civ. I, 30, Cic. ad Att. X, 12 et 16, Plut. Cat. 53), M. Aurelius Cotta Sardiniam (Caes. l. l. Cic. ad Att. X, 16, Dio XLI, 18), L. Aelius Tubero Africam (Caes. l. l., Cic. pro Lig. 7 et 8), P. Sestius Ciliciam (Cic. ad fam. V, 20, ad Att. XI, 7), Calvisius quidam Bithyniam (Appian. Mithrid. 120). Ceteras praetorias provincias qui eo anno obtinuissent memoriae proditum non est. Desiderantur autem nomina quattuor praesidum; nam cum anno 703 senatus decrevisset ut novem provinciae praetorio imperio obtinerentur et hoc anno Gallia cisalpina addita esset, in sortem coniectae sunt decem provinciae praetoriae.

Horum nominum tria inesse arbitror in his verbis Ciceronis, quae leguntur in ep. ad Att. VIII, 15: *Quod videris non dubitare, si consules transeant* (in Graeciam), *quid nos facere opor-*

teat, certe transeunt vel, quomodo nunc est, transierunt. Sed memento praeter Appium neminem esse fere, qui non ius habeat transeundi. Nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Sufenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules, quibus more maiorum concessum est vel omnes adire provincias; aut legati sunt eorum. Censuit igitur Cicero, qui cum Pompeio in Graeciam transissent, quoniam aut cum imperio essent aut legati, iis omnibus ius fuisse transeundi, sibi non item. At etiam Cicero cum imperio erat; nam ex Cilicia reversus necdum propter spem triumphi in urbem ingressus Campaniae praeerat et laureatos lictores secum habebat.[34] Quid igitur? cum non omnes, qui cum imperio erant, ius transeundi haberent, nonne consentaneum est, illud ius praeter consules, quibus omnes provincias adire licebat,[35] et praeter Pompeium, qui extraordinario et infinito imperio ornatus erat, iis tantum fuisse, quibus imperium in provincias trans mare sitas datum erat? De praetoribus certe cogitare non licet. Nam si, quod magistratum cum imperio habebant, omnes provincias iis adire licuisset, quod non licuit, eorum ut consulum mentio a Cicerone facta esset; certarum vero provinciarum imperium iis datum non erat, quod senatus ex lege Pompeia privatis provincias decreverat. Huc accedit quod ex praetoribus nemo una cum Pompeio in Graeciam videtur transiisse. Colligi enim id potest ex hoc loco ep. ad Att. IX, 6: *Pompeius mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit. Hic numerus est hominum milia XXX et consules et duo tribuni plebis et senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus et liberis,* et ex his verbis quae Cicero ad eundem IX, 12 scripsit: *Populi Romani exercitus Cn. Pompeium circumsidet, fossa et vallo saeptum tenet, fuga prohibet; nos vivimus? Et stat urbs ista, praetores ius dicunt, aediles ludos parant, viri boni usuras perscri-*

[34] Cic. ad fam. II, 16, XVI, 11 et 12; ad Att. VII, 7 et 10 et 11, VIII, 1 et 3, XI, 7.

[35] Cf. praeter Cic. ad Att. VIII, 15, quem locum supra attulimus, Cic. Phil. IV, 4: *Antonium si consulem illa provincia putaret neque eum recuperet, magno scelere se adstringeret. Omnes enim in consulis iure et imperio debent esse provinciae.*

bunt. Neque repugnat quod L. Torquatus (Caes. b. civ. III, 11), P. Rutilius Lupus (Caes. l. l. 55), C. Coponius (Caes. l. l. 5) praetores cum Pompeio in Graecia fuisse dicuntur; nam et Lupus praetor, cum Pompeius Brundisii oppugnaretur, Romam redierat (Cic. ad Att. IX, 1) et multi alii Pompeiani, ut Cicero et P. Lentulus Spinther (Cic. ad Att. IX, 11), antequam Caesar in Hispaniam profectus est, ad Pompeium in Graeciam non contenderunt. Apparet igitur Sufenatem, Fannium, Voconium pro praetoribus praefuisse provinciis orientis.

Erant autem illae provinciae septem: Macedonia, Asia, Cilicia, Syria, Bithynia, Creta, Cyrenae, id quod Zumptius in commentationum epigraphicarum volumine altero p. 209 et 211 praeclare demonstravit. Itaque cum qui Bithyniae, Syriae, Ciliciae eo anno praefuissent supra ostenderimus, reliquae sunt quas his tribus praetoriis assignemus quattuor provinciae: Macedonia, Asia, Creta, Cyrenae. Neque ultra progredi in hac quaestione licet.

De Fannio solo non dubito in sententiam Borghesii transire, qui in Diurn. Arcad. T. XIV p. 391 (obs. num. dec. V, 10) ex Iosephi Antiq. XIV, 10, 13 et 15 et ex quattuor nummis, uno Ephesiorum, duobus Trallianorum, uno Apameensium, in quibus appellatur C. FAN. PONT. PR., collegit Asiae eum pro praetore praefuisse. Nam quae Zumptius l. l. p. 213 contra disputat, habent illa quidem magnam speciem veritatis, refelli tamen possunt.

Et primum quidem quod dicit Fannium in nummis praetorem appellari non potuisse, si pro praetore illo tempore fuisset, notum est non solum qui pro consulibus erant saepe consules,[36] qui pro praetoribus praetores[37] appellatos esse, sed etiam vocem praetoris commune nomen omnium praesidum provinciarum fuisse.[38] Nummos autem si desideras, extat M. Atii Balbi num-

[36] Liv. XXVI, 33, XXXI, 49. Velleius I, 8. Cic. de off. III, 26, pro Archia 5.

[37] Cic. Verr. II, 16, Caes. b. civ. I, 12, Cic. ad Q. fr. I, 1, 7, ad fam. XIII, 55, p. Flacco 19.

[38] Cic. ad Att. V, 21, ad fam. II, 17, de orat. I, 17, pro Lig. 1, in Verr.

mus Sardiniensis, qui inscriptus est M. ATIVS BALBVS PR., et duo Cyrenaici, alter inscriptus S. CATO PROCOS., alter S. CATO PR.[39]

Deinde Zumptius sententiam suam confirmare studet his verbis Ciceronis ad Att. VII, 15: *Postumius autem, de quo nominatim senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret Furfanioque succederet, negat se sine Catone iturum et suam in senatu operam auctoritatemque quam magni aestimat. Ita res ad Fannium pervenit. Is cum imperio in Siciliam praemittitur.* Quid enim? inquit. Fannius si sorte Asiam acceperat, quomodo poterat in alienam provinciam mitti? Quis umquam praesidem audivit, antequam in suam abiret provinciam, interim praefuisse alienae? Deinde cur tandem cum imperio missum esse ait? Haec quidem Zumptius. At mutari poterant provinciae iis qui sortiti erant, veluti mutatae sunt M. Valerio Laevino, M. Claudio Marcello consulibus anni 544 (Liv. XXVI, 29), duobus praetoribus anni 562 (Liv. XXXV, 20), L. Lucullo consuli anni 680 (Plut. Luc. 5 et 6), Hortensio et Metello consulibus anni 685 (Dio. frg. p. 75 ed. Reim.), aliis. Neque desunt exempla, quae propius ad Fannii causam accedunt. Nam anno 536 P. Scipio consul, antequam in suam provinciam abiret, in Gallia, quae L. Manlio praetori evenerat, Hannibali occurrit (Liv. XXI, 17, 25, 32), anno 587 A. Manlius Torquatus praetor, cui Sardinia obvenerat, nequiit in provinciam ire, quia ad res capitales quaerendas ex senatus consulto retentus erat (Liv. XLV, 16), anno 544 C. Calpurnius propraetor Etruriae iussus est Capuae praeesse, donec dictator in urbe abesset, eo reverso in provinciam redire (Liv. XXVII, 6 et 7). Cum imperio autem Fannium missum esse propterea Cicero addit, quod, cum imperium Asiae haberet ideoque legatus Catonis esse non posset, imperium Siciliae nominatim ei dari oportuit; id quod probabiliter colligitur ex Cic. ep. ad Att. VII, 7: *A multis audio constitutum esse Pompeio et eius*

lib. III, 54. Cf. quae de hac re disputant Soldan in quaest. de aliquot partibus proconsulum et propraetorum, Han. 1831, p. 58 seq. et Eckhel in doctrina nummorum IV, p. 235.

[39] Eckhel l. l. p. 230. De Atio vide Suet. Octav. 4 et Cic. Phil. III, 6.

consilio in Siciliam me mittere, quod imperium habeam. Id est Ἀβδηριτικόν. *Nec enim senatus decrevit nec populus iussit me imperium in Sicilia habere. Sin hoc respublica ad Pompeium defert, qui me magis quam privatum aliquem mittat? Itaque, si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta, quam primam videro.*

Itaque cum Cicero Fannium inter viros praetorios recenseat, cum in Asia eundem cum imperio versatum esse certum sit, cum qui pro praetore est et a scriptoribus et in nummis praetor appelletur, ego quidem nullam causam video cur negem Fannium pro praetore Asiae praefuisse. Atque haec quidem de provinciis; nunc redeamus ad Caesarem.

XIV. INITIUM BELLI.

Amissum erat conditionum tempus, pervenerat res ad ultimum dimicationis. Eo enim progressus erat Pompeius et impulsu amicorum[1] et sua temeritate, ut ne si voluisset quidem ad sana consilia redire integrum ei fuisset, et tantum aberat ut vellet ut conando et strenue agendo eo gradum fecisse sibi videretur, unde, si porro anniteretur, ad illa summa quae expeteret facile posset pervenire. Itaque abiecta omni mora et simula-

[1] Caesar bell. civ. I, 4: *Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant et dolor repulsae. Lentulus aeris alieni magnitudine et spe exercitus ac provinciarum et regum appellandorum largitionibus movetur seque alterum fore Sullam inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes provinciae atque exercituum impellit, quos se pro necessitudine partiturum cum Pompeio arbitratur, simul iudiciorum metus, adulatio atque ostentatio sui et potentium, qui in republica iudiciisque tum plurimum pollebant. Ipse Pompeius ab inimicis Caesaris incitatus et quod neminem dignitate secum exaequari volebat totum se ab eius amicitia averterat et cum communibus inimicis in gratiam redierat.* Cic. ad fam. VI, 6: *Quid ego praetermisi aut monitorum aut querelarum! cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Victa est auctoritas mea non tam a Pompeio, nam is movebatur, quam ab iis, qui duce Pompeio freti peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant.* Cf. ad Att. IX, 11, ad fam. IV, 1, XVI, 11 et 12.

tione, ne cunctando consilia senescerent, quae bello usui essent raptim et turbulente paravit.

Convocatus est statim, simulac tribuni ex urbe excesserunt, senatus extra urbem, ut Pompeius adesse posset. Retulerunt consules de summa republica. Tum Pompeius sententiam primus rogatus collaudavit patrum virtutem constantiamque et excitavit eorum animos: se, cui semper patrum auctoritas maxime cordi fuisset, in tanto discrimine senatui non defuturum. Secum esse decem legiones, omnes fere provincias, omnes qui rempublicam salvam esse vellent. Ad Caesarem accessisse qui cum timore et mala spe viverent et communi incendio quam suo deflagrare mallent; in his omnem victoriae spem positam illum habere, nam Gallias alieno animo esse ac ne militibus persuaderi posse ut eum defenderent aut sequerentur saltem. Itaque dummodo fortiter rem susciperent neve in tanto incendio cui confestim succurrendum esset cunctarentur aut tergiversarentur, non esse cur de sua publicave salute desperarent.[2] His Pompeii verbis auctores pacis adeo sunt perculsi, cunctantes et diffidentes adeo excitati, concitores belli adeo confirmati, ut quae ad bellum pertinebant omnia, quoad eius per senatum fieri potuit, summa voluntate omnium duobus diebus perficerentur.

Iussi sunt consules et Pompeius veteranos evocare delectumque per totam Italiam habere, donec centum et triginta milia effecissent, praeterea, si res postularet, sociis regibusque foederatis milites naves nautas imperare, quantum ad rempublicam defendendam satis esse videretur. Permissum est ut ad rem militarem pecunia, quae publica esset et exigi posset, omni uterentur et exigerent et, si tantis expensis aerarium non sufficeret, pecunias a quibus videretur mutuas sumerent, frumen-

[2] Caes. bell. civ. I, 6: *Pompeius eadem illa, quae per Scipionem ostenderat, agit; senatus virtutem et constantiam conlaudat; copias suas exponit: legiones habere sese paratas X; praeterea cognitum compertumque sibi alieno esse animo in Caesarem milites neque iis posse persuaderi, uti eum defendant aut sequantur saltem.* Cic. ad fam. XVI, 12: *Putabamus illum metuere, si ad urbem ire coepisset, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimicissimas praeter Transpadanos.* Cf. praeterea Plut. Caes. 29, Pomp. 57, Appian. b. civ. II, 30.

tum imperarent, cetera quae ad bellum gerendum pertinerent quacumque ratione cogerent.[3] Descriptae sunt Italiae regiones, ut suum quaeque praefectum haberet vel ex praetoribus vel ex iis qui cum imperio ad urbem essent.[4] Denique de provinciis ita decretum est, ut imperio nemo ornaretur nisi qui infensissimum Caesari se antea praebuerat, neque tamen senatus criminationi locum daret discessum esse a legibus in gratiam Pompeii.[5]

Haec senatus consulta facta sunt, postquam tribuni a. d. VII Id. Ian. ad Caesarem confugerunt et antequam Cicero epistolam ad fam. XVI, 11 scripsit, quae pr. Id. Ian. data est. Accuratius tempus definiri potest hoc modo. Caesar Rubiconem non ante transiit quam senatus consulta illa extrema ad eum perlata sunt (Caes. bell. civ. I, 7), et Cicero cum Pompeianis ex urbe excessit a. d. XIV Kal. Febr. (ad Att. IX, 10, 4), postquam comperit Ariminum Pisaurum Anconam Arretium a Caesare occupata esse (ad fam. XVI, 12). Iam quarto fere die quae Ravennae facta erant Romae audiebantur; nam Curio, cum summa celeritate usus esset, trium dierum cursu hoc spatium emensus est (Appian. bell. civ. II, 32) et Caesar, cum Arimino nondum discessisset (Caes. bell. civ. I, 8 et 11, Cic. ad Att. VII, 14), rogavit a. d. IX Kal. Febr., ut primum de discessu Ciceronis audivit, Trebonium ut scriberet ad illum ut ad urbem esset (ad Att. VII, 17). Sequitur igitur Rubiconem transitum esse ipsis Idibus Ian. et de bello gerendo senatum decrevisse a. d. VI et V Idus eiusdem mensis; nam uno die rem peractam non esse docet Caesar bell. civ. I, 6.

[3] Appian. b. civ. II, 34: Ἡ βουλή, νομίζουσα Καίσαρι τὸν στρατὸν ἀπὸ Κελτῶν σὺν χρόνῳ παρέσεσθαι καὶ οὔποτε αὐτὸν ὁρμήσειν ἐπὶ τηλικοῦτον ἔργον σὺν ὀλίγοις, προσέτασσε Πομπηΐῳ τρισκαίδεκα μυριάδας Ἰταλῶν ἀγείρειν καὶ μάλιστα αὐτῶν τοὺς ἐστρατευμένους ὡς ἐμπειροπολέμους· ξενολογεῖν δὲ καὶ ἐκ τῶν περιοίκων ἐθνῶν ὅσα ἄλκιμα. Χρήματα δὲ ἐς τὸν πόλεμον αὐτῷ τά τε κοινὰ πάντα αὐτίκα ἐψηφίζοντο καὶ τὰ ἰδιωτικὰ σφῶν ἐπὶ τοῖς κοινοῖς, εἰ δεήσειεν, εἶναι στρατιωτικά· ἔς τε τὰς πόλεις ἐφ' ἕτερα περιέπεμπον σύν τε ὀργῇ καὶ φιλονεικίᾳ, σπουδῆς οὐδὲν ἀπολείποντες ὀξυτάτης.

[4] Cic. ad fam. XVI, 11: *Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur. Nos Capuam sumpsimus.* Cf. ad fam. XVI, 12, ad Att. VII, 11, 13b., Caes. b. civ. I, 12, 13, 15.

[5] Vide quae de hac re p. 150 disputavimus.

In hanc sententiam non conveniunt quae Caesar in primo commentario de bello civili c. 9—11 enarravit: Arimini se mandata L. Caesari et L. Roscio tradidisse ad Pompeium perferenda, eum respondisse quae nihil ad levandas iniurias pertinerent; itaque se M. Antonium cum quinque cohortibus Arretium misisse et Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupasse. At hoc quo Caesar dixit ordine res gestae esse non possunt. Nam Cicero ad Att. VII, 14 scripsit: *L. Caesar mandata Caesaris detulit ad Pompeium a. d. VIII Kal. Febr., cum is esset cum consulibus Teani. Probata condicio est, sed ita, ut ille de iis oppidis, quae extra suam provinciam occupavisset, praesidia deduceret. Id si fecisset, responsum est ad urbem nos redituros esse et rem per senatum confecturos.* Praeterea Caesar in cap. 10 narravit Roscium a se Capuam pervenisse ibique consules Pompeiumque invenisse et postulata sua renuntiasse, et paulo infra in cap. 14 sibi ipse repugnans scripsit: *Quibus rebus Romam nuntiatis* (i. e. occupatas esse illas urbes) *tantus repente terror invasit, ut, cum Lentulus consul ad aperiendum aerarium venisset ad pecuniam Pompeio ex senatus consulto proferendam, protinus aperto sanctiore aerario ex urbe profugeret. Caesar enim adventare iam iamque et adesse eius equites falso nuntiabantur. Hunc Marcellus collega et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie eius diei ex urbe profectus est.* Apparet igitur Caesarem, sive ut suam modestiam commendaret sive ne quae re coniuncta essent narratione disiungeret, in his quidem rebus exponendis temporis ordinem non conservasse.

Restat nunc ut paucis memoremus quo modo Pompeianorum conatibus Caesar occurrerit. Versabatur eo tempore Ravennae, ut ipse prae se ferebat, expectans suis postulatis responsa, si qua hominum aequitate res ad concordiam deduci posset, revera ut, si occasio data esset, hostes imparatos opprimeret et quanta maxima celeritate posset ex Italia expelleret. Atque cum spreta esset tribunicia intercessio, quo uno telo rem suam usque ad hoc tempus sustentaverat, cum successor esset decretus et ipse, nisi cederet, hostis iudicatus, cum Pompeiani ingens bellum

aperte molirentur, multae ei erant et graves causae cur ipse armorum initium facere mallet. Adversarii erant imparati, Italia praesidiis nuda, Roma ipsa velut in medio posita, opima praeda ei qui capere occuparet. Ad hoc tum primum Caesari acciderat ut Galli essent sedati et quieti, nullus hostis a tergo immineret, legiones in Italiam tuto possent evocari. Denique, et id erat maximum, causa belli erat ei data qua iustiorem aut ad existimationem hominum speciosiorem numquam posset nancisci.

Itaque ut primum quae de sua salute Romae acta essent comperit, nulla mora interposita milites legionis tertiae decimae, quam initio tumultus evocaverat, convocat et apud eos contionatur.[6] *Omnium temporum iniurias inimicorum in se commemorat; a quibus deductum ac depravatum Pompeium queritur invidia atque obtrectatione laudis suae, cuius ipse honori et dignitati semper faverit adiutorque fuerit. Novum in republica introductum exemplum queritur, ut tribunicia intercessio armis notaretur atque obprimeretur. Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquisse; Pompeium, qui amissa restituisse videatur, ademisse. Quotienscumque sit decretum, darent operam magistratus, ne quid respublica detrimenti caperet, qua voce et quo senatus consulto populus Romanus ad arma sit vocatus, factum in perniciosis legibus, in vi tribunicia, in secessione populi templis locisque editioribus occupatis; atque haec superioris aetatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet; quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem. Hortatur, cuius imperatoris ductu novem annis rempublicam felicissime gesserint plurimaque proelia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut eius existimationem dignitatemque ab inimicis defendant.*

Hac oratione habita, cum omnes milites conclamassent sese paratos esse imperatoris sui tribunorumque plebis iniurias

[6] Quae sequuntur sunt Caesaris verba quae leguntur in cap. 7 primi commentarii de bello civili. Omisimus ea quae delenda esse Nipperdeius, ut nobis quidem videtur, recte iudicavit.

defendere, utendum animis dum spe calerent ratus eodem die sub vesperum Ravenna discessit et silentio noctis Rubiconem transiit, finem provinciae, quem proconsuli cum armatis transire nefas erat. Iacta erat alea:

Dividitur ferro regnum, populique potentis,
Quae mare, quae terras, quae totum continet orbem,
Non cepit fortuna duos.

BEROLINI, TYPIS GUSTAVI LANGE.